

Rz - 757



Kassai királyi jogakadémia
Könyvtára


Szekrény szám *XIII*
Osztályzat *e.*

B.

580

Gandini

XIII e



DISPUTATIONES
HISTORICÆ
ANTONII SANDINI,
AD VITAS
PONTIFICUM
ROMANORUM,
ADMODUM REVERENDIS, REVE-
RENDIS, PERILL. PRÆNOBILIBUS,
NOBILIBUS, EXCELLENTIBUS,
AC DOCTISSIMIS DOMINIS DOMINIS
AA. LL. & Philosophiae Magistris, pro prima
SS. Theologie Laurea

Johannes Sandini *Dum Per Collegio*
Admodum Reverendum Patrem
CANDIDATIS,
Cassovianus *Ordinarium, S.J. 1766.*
GEORGIUM SZEGEDI
è Soc. JESU, SS. Theologiæ Doctorem,
ejusdémque in Alma Episcopali Uni-
versitate Cassoviensi Professorem
Cassovianus In Aula ejusdem Universitatis prima SS. Theo-
logia Laurea condecorarentur,
AB ADDICTISSIMIS CONDISCIPULIS
DICATÆ.
ANNO MDCCCLII. Mense Augusto, Die

•••••••••••••••••••••••••••••
CASSOVIAE,
Typis Academicis Societatis JESU.


R2 282 (091)
Archiv - archiv - Archiv
dejství
Richt - spisům - Traktor
Město - město
N. H.



Rev. 71

Občanská fakultní knihovna - Praha
Príz. č. 13024 / 964
Sign. R2 - 757
Odloženo 1960
282 (091)

K



ADMODUM REVERENDI,
REVERENDI, PERILLUSTRES,
PRÆNOBILES, NOBILES,
EXCELLENTES, AC DOCTISSIMI
DOMINI DOMINI
NEO-BACCALAUREI!



*Ruditissima Antonii SANDINI Di-
sputationes Historicæ lucis iterum pu-
blicæ factæ sunt, VESTRA causâ; lu-
cem, ut iis gloriae VESTRÆ, quæ ho-
die in VOS è prima Theologiæ lauro,
nobilissima refunditur, VOBIS gratu-*

*laremur, aliis contestaremur, VESTRI hujus honoris utro-
que essent nomine vestigales. Neque facile occurrit, quibus
potius, quam VOBIS, aut quid VOBIS potius, quam opusculu-
m istud dicaremus. Scriptum illud est pro eruditis: qua-
les profecto estis VOS; quippe quibus ultra profanas, sci-
entiæ sacræ aditum ad sublime hoc culmen honoris recluserunt.*

In virtus illorum hoc in libello disputatur , qui summa potestate Sedem D. Petri obtinuerunt : cuius VOS Sedis fidelissimi estis laborum Administris , alii enim in VOBIS multo jam sudore , vigilancia , doctrina , eloquentia , exemplo fidem sanctæ illius Sedis protulistiſ , & supremæ istius in terra dignitatis jura propugnastiſ ; alii ad munus idem pari conatu sustinendum etiamnum paramini . Scriptorum veterum juxta , ac recentiorum opinioneſ author iste colligi : testimonia multorum accumulat , atque ex iis subtili animadverſione judicat , gravique censura definit : ut adeo iſto etiam ex capite non ingratum VOBIS fore opus hoc confidamus , in quo scilicet & invenire veritatem certius potestis , quam unice diligitis , & in rerum varietate ingenium oblectare , quod VOBIS est multiplicis eruditionis avidissimum : & in sententiarum diversitate , quod grave , & maturum VOBIS est , judicium exercere . Accipite igitur munus hoc , animo , quo offerimus , benevolo , nobisque , qui , Honor ut iſte hodierna Lauri VESTRÆ , gradus VOBIS sit ad amplissimas in Ecclesia Dignitates , sincerè vovemus , favete ,

HONORIS VESTRI

Studioſiſſimis

THEOLOGIS CASSOVIENSIBUS.



N O M I N A

DOMINORUM

NEO-BACCALAUREORUM,

Ordine Alphabetico.

Rev. Prænob. Excell. ac Doctiss. D. CAROLUS SCHARLACH, Hung. Jaurin. ex Com. eod. AA. LL. & Philos. Magister, SS. Theologiæ in 4tum añum Auditor, Sem. Jaurin B. M. V. in Cœlos Assumptæ Al. Presb. Diœc. ejusdem. Admodum Rever. Nob. Excell. ac Doctiss. D. EMERICUS THUROOCZY, Hung. Cässov. ex Com. Aba-Ujvar. AA. LL. & Philos. Magista Eccles. Bodrogkereszturiensis, & Filialium in Diœces. Agriensi Plebanus, olim Sem. Kisd. S. Ladisl. Reg. Hung. Alumnus.

Admodum Rev. Nobil. Excell. ac Doctiss. D. GEORGIUS STANKOVICS, Hung. Comar. ex Com. eodem, AA. LL. & Philosoph. Magister, Civitatis M-Varadinensis Capellanus curatus, nuper Sem. Kisd. S. Lad. Reg. Hung. Alumnus.

Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. D. GEORGIUS ZUBRALOVSZKY, Hung. Zubrohlavensis, ex Com. Arven. AA. LL. & Philosophiæ Magister, SS. Theologiæ in 3tum añum Auditor, Sem. Kisd. S. Ladisl. Reg. Hung. Alumnus, Presbyt. Diœc. Agrien.

Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. D. JOANNES HIDASSI, Hung. Attanien. ex Com. Heyess. AA. LL. & Philosophiæ Magister, nuper Sem. Kisid. S. Ladisl. Reg. Hung. Alum.

Admodum Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. D. JOANNES KVIETOVSZKY, Hung. ex Valle Dom. Com. Zolien. AA. LL. & Philosophiæ Magister, Venerab. Capituli Agrien. Capellarius curatus, nuper Sem. Kisid. S. Lad. Reg. Hung. Alum.

Admodum Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. D. JOSEPHUS KOVÁCS, Hung. Gyöngyös. ex Com. Hevess. AA. LL. & Philos. Magister, Ecclesiæ Náad-Udvariensis, & Filialium in Diœc. Agrien. Plebanus, nuper Sem. Kisid. S. Ladisl. Reg. Hung. Alum.

Admodum Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. D. MATTHIAS KUBANYI, Hung. Namestovien. ex Com. Arven. AA. LL. & Philosophiæ Magister, Ecclesiæ Tardosiensis, & Filialium in Diœc. Agrien. Plebanus, nuper Sem. Kisid. S. Ladisl. Reg. Hung. Alum.

Rev. Perill. Excell. ac Doctiss. D. MATHIAS OROSZ de Csicsér, Hung. Eörien. ex Com. Ungvar. AA. LL. & Philosophiæ Magister SS. Theologiae in 3 tium aënum Auditor, Sem. Kisid. S. Ladisl. Reg. Hung. Alum. Presb Diœc. Agr.

Admodum Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. D. MATTHIAS WILINYI, Hung. Karancs-Kessien. ex Com. Neograd. AA. LL. & Philosophiæ Magister, Ecclesiæ Orossien. & Filialium in Diœc. Agrien. Plebanus, nuper Sem. Kisid. S. L. Reg. Hung. Alum.

Admodum Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. D. MICHAEL SZENT MIHALYI, Hung. Billyken. ex Com. Zempl. AA. LL. & Philosophiæ Magister, Illustriss. D. D. Comitis Caroli Perényi de Perény Inclyt. Comit. Ugocsen. Supremi Comitis Capellanus, nuper Sem. Kisid. S. Ladisl. Reg. Hung. Alum.

Admod. Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. D. PAULUS DRUCSAY, Hung Jernen. ex Comit. Saáros. AA. LL. & Philosophiæ Magister, Ecclesiæ Széplakien. & Filialium in Dicec. Agri. Plebanus, nuper Sem. Kisid. S. Ladisl Reg. Hung. Alum.

PROBLEMA IN ACTU DECISUM.

Utrum ad tuendum Romani Pontificis primatum plus faciat cum illis sentire, qui Cepham à D. Paulo reprehensum, alium fuisse à D. Petro Apostolorum Principe; an eorum sequi sententiam, qui eundem fuisse contendunt?



INDEX

INDEX DISPUTATIONUM.

I.	D E Petro , seu Cepha , cui Paulus Antiochiae in faciem restitit.	I
II.	<i>De Cathedra D. Petri Antiochenæ.</i>	15
III.	<i>De Cathedra D. Petri Romana.</i>	25
IV.	<i>De proximo successore D. Petri. & Cleto diverso ab Anacleto.</i>	37
V.	<i>De S. Victore I. minitante anathema Asianis more Judeorum Pascha celebrantibus.</i>	46
VI.	<i>De primo Imperatore Christiano.</i>	57
VII.	<i>De S. Stephano I. baptismum heretico- rum approbante.</i>	68
VIII.	<i>De Concilio Plenario D. Augustini.</i>	80
IX.	<i>De Martyrum multitudine in primævis Christianorum persecutionibus.</i>	95
X.	<i>De Azymo Latinorum.</i>	113
XI.	<i>De Azymo Græcorum.</i>	127
XII.	<i>De baptismo Constantini Magni Imperatoris.</i>	148





DISPUTATIO I.

*De Petro, seu Cepha, cui Paulus Antiochiae
in faciem restitit.*



Acobus frater Domini initio Ecclesiae Hierosolymitanae erat Episcopus, & Judeis praeerat omnibus, qui crediderant. Accidit autem, ut essent Antiochiae quoque Judæi, qui cum Christo credidissent, eo quod procul abes- sent ab Hierosolyma, viderent- que multos, qui crediderant ex Gentibus, confidenter, & absque Judaicis observationibus vivere, sensim, ac paulatim inducerentur, ut a Judaica consuetudine absti- nerent, & puram minimeque adulteratam Fidei doctri- nam retinerent. Cum ergo descendisset Petrus, & nul- lam esse condescensionis necessitatem videret, gentiliter deinceps vivebat: Hoc autem appellat gentiliter vivere Paulus (1) absque Judaica vivere observatione, nihil ex Legis ritibus custodiare, exempli gratia circumcisionem, sabbatum vel quidpiam ejusmodi. Cum igitur Petrus ita viveret, descendedunt quidam a Jacobo Judæi, hoc est ex Hierosolyma, qui, quod in Metropoli semper versati essent, neque quemquam vidissent ita viventem, adhuc anticipatam illam Judaicam opinionem retinebant, mul- tas ex observationibus illis secum trahebant. Hos cum

(1) In Epistola ad Galatas cap. 2. ubi historiam Pe-
tri ab se reprehensi narrat.

vidisset Petrus, qui a Jacobo, & Hierosolyma descendebant, qui adhuc infirmi erant, timeretque, ne scandalum passi a Fide resilirent, mutatus est rursus, & omis-
sa gentili vitæ ratione, ad priorem rediit indulgentiam,
& ciborum observationes custodivit. Illum ergo Iudæi
cum vidissent, qui Antiochiae versabantur, id agentem,
neque mentem ejus perspectam haberent, qua id agebat,
abducti sunt & ipsi, ac propter Magistrum judaizare
cogebantur. Atque hoc est, quod reprehendit Paulus.

Ad Gal. II. 11. (2) Ut autem clarius fiat, quod dicimus, ipsa Apostoli-
ca verba recitabo. Cum autem venisset Petrus Antio-
chiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis
erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo,
hoc est Hierosolymis, cum gentibus edebat, hoc est cum
iis, qui erant Antiochiae. Cum autem venissent quidam
Hierosolymis periti Legis, subtrahiebat se Petrus timens
eos, qui ex circumcisione erant. (3) Quosnam? eos,
qui a Jacobo descenderant. Et abducebantur cum eo
ceteri Iudei. Quinam Iudæi? qui priusquam Hiero-
solymitani descendissent, Antiochiae degebant, nec ul-
lam observationem Judaicam custodiebant. Ita ut &
Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. At-
que hæc quidem est, quæ appetet reprehensio. (4)

Non-

(2) Summus Pontifex Agapetus in Epist. ad Justi-
nianum Augustum apud Baronium ad an. 535. §. 1. &
apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 1793. Licet simili studio
charitatis pro multiplicatione Fidelium ille beatus Petrus
celestis Regni Janitor traheretur, qui ut Judæorum plu-
res acquireret, a doctrina & tramite regulari in non
respundo omni Judaismo descenderat: huic tamen
ille junior vincitus in Domino Paulus se retulit obvia-
se dicens: Sed cum vidi sem, &c. ad Gal. II. 14.

(3) S. Cyrillus Alexandrinus extremo lib. 9. contra
Julianum: Ad hæc audax ille & confidens Petrum Apo-
stolorum præcipuum cavillatur, & hypocritam esse di-
cit, atque a Paulo reprehensum, quod modo Græco-
rum, modo Judæorum ritu vivere veller.

(4) S. Ioan. Chrysostomus hom. in illud in faciem ei
restuti, num. 14. tom. 3. pag. 373.

Nonnulli, quibus indignum visum est, Petrum Apostolorum principem a Paulo reprehensum fuisse, non erat hic Petrus, inquit, ille primus Apostolorum, cui fuerunt oves a Christo concreditæ, sed alius quispiam vilis & abjectus & unus e vulgo. Unde id constat? Cum ceteros Judeos abductos fuisse cum illo dixisset, adjectit, inquit, ita ut Barnabas duceretur cum eis in illam simulationem. Quod autem dixit, ita ut Barnabas, indicat multo fuisse mirabilius illud, quam Petrum abductum esse. Sic enim locutus est, ut majorem illum censere videatur: non modo Petrus, inquiens sed & Barnabas: atque Barnabas Petro illo major non erat.

A 2

V-

S. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 2. secundum Hieronymum (Epist. 112. alias 89.) Petrus simulatorie se a gentibus subtrahebat, ut vitaret Judæorum scandalum, quorum erat Apostolus: unde in hoc nullo modo peccavit: sed Paulus eum similiter simulatorie reprehendit, ut vitaret scandalum gentilium, quorum erat Apostolus. Sed Augustinus (Epist. 82. alias 18.) hoc improbat, quia Paulus in Canonica Scriptura (scilicet Galat. 2.) in qua nefas est credere aliquid falsum esse, dicit, quod Petrus reprehensibilis erat: unde verum est, quod Petrus peccavit, & Paulus vere eum, non simulatorie reprehendit. Non autem peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat; quia hoc sibi licebat tamquam ex Judæis converso: sed peccabat in hoc, quod circa Legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judæos, ita quod ex hoc sequeretur gentilium scandalum.

Peccabar autem Petrus venialiter tantum, ut docet idem S. Thomas in Epist. ad Gal. cap. 2. Lect. 3. Nam post gratiam Spiritus Sancti nullo modo peccaverunt mortaliter Apostoli, & hoc donum habuerunt per potentiam divinam, quæ eos confirmaverat Peccaverunt tamen venialiter, & hoc fuit eis ex fragilitate humana Quod vero dicitur in Glo. Restiti ei tamquam par. Dicendum est, quod Apostolus fuit par Petro in executione auctoritatis, non in auctoritate regiminis.

Verumtamen non ita se res habet, plane ita se non habet. Neque enim eo quod Barnabas major esset, ideo miratur magis: sed quam ob causam? quod nimis illus quidem in circumcisionem missus esset, at Barnabas cum Paulo gentibus prædicaret, & ubique cum Paulo copularetur. Quemadmodum alibi dicit, Aut ego so-

1. Cor.

IX. 6.

lus & Barnabas non habemus potestatem non operandi? & rursus, Ascendi Hierosolymam cum Barnaba, &

Gal. ubique vides illum cum Paulo docere. Non ergo quod II. 11. Petro major esset, idcirco eum quoque abductum esse min-

ratur; sed quod is, qui secum semper prædicabat, cuique nihil erat commune cum Iudeis, verum inter gentes docebat, ipse quoque esset abductus. Ceterum Petrum illum esse, de quo hæc omnia dicit, cum ex iis, quæ præcesserunt, tum ex iis, quæ sequuntur, manifestum est. Quod enim se in faciem restitisse illi dicit, ac pro magno illud habet, nihil aliud indicat, nisi se dignitatem minime reveritum esse personæ: porro de altero quopiam si dixisset, se in faciem illi restitisse, nequaquam hoc pro magno habuisset. Præterea si quispiam alias Petrus fuisset, non tantum valuisset ejus mutatio, ut ceteros etiam Iudeos attraheret. Neque enim adhortatus est, neque consuluit, sed tantum subtrahebat & segregabat se: atque illa subtractio & segregatio ceteros omnes discipulos attrahere posuit propter personæ dignitatem. Itaque Petrum fuisse, satis ex his constat. (5)

Id quod etiam ex verbis ipsis D. Galat. Pauli liquet. Licturus etenim Paulus: Cum venisset

II. 11. Petrus Antiochiam, ei in faciem restiti: ut de quo Pe-
tro loqueretur, ostenderet, in ipso suæ narrationis ini-
tio præmisit dicens: Creditum est mihi Evangelium
præputii, sicut Petro circumcisionis. Qui enim opera-

7. 8. tus est Petro in Apostolatum circumcisionis, opera-
tus est & mihi inter gentes. Pater ergo de quo Petro
Paulus loquitur, quem & Apostolum nominat, & præ-
fuisse Evangelio circumcisionis narrat. (6) Huc usque
eos

(5) S. Ioannes Chrysostomus loco citato.

(6) S. Gregorius Magnus in Ezechiel. lib. 2. hom. 6.
num.

eos rejicimus, qui non Petrum, sed quempiam aliurn
eo nomine, qui a Paulo sit reprehensus, accipiunt.
Nunc eos refellamus, qui volunt fuisse alium de Se-
piuaginta discipulis isto vocabulo nuncupatum. Et di-
cunt, nequaquam Petrum a convictu gentium se potuis-

A 3

sub-

num. 10. tom. 1. pag. 1368. cuius verba describit, &
probat Claudius Taurinensis Episcopus in doctissima enar-
ratione in Epist. D. Pauli ad Galatas tom. 4. Bibl. Patr.
pag. 148. Ceterum idem S. Gregorius ibidem haec etiam
babet, quamvis totus alioquin sit in Petri laudibus.
Cum Petrus Apostolus servari adhuc in circumcisione
Legis consuetudinem vellet, ei in faciem restitit Pau-
lus, eumque hac in re fuisse reprehensibilem dicit. Et
hoc ejus studium discipulis loquens non solum culpam,
sed quod est maius hypocrisim, id est simulationem
nominat dicens: Cum venisset Petrus Antiochiam, in
faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Et paulo
post: Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi.
Idem vero Apostolorum primus cum multa discipulos
admoneret, atque a quibusdam detrahi de Pauli scriptis
agnosceret, dicit (Epist. 2. cap. III. 15.) Sicut carissi-
mus frater noster Paulus secundum datam sibi sapien-
tiam scripsit vobis, loquens in eis de his, in quibus sunt
quædam difficulta intellectu, quæ indocti & instabiles
depravant, sicut ceteras Scripturas ad suam ipsorum
perditionem. Ecce Paulus in epistolis suis scripsit Pe-
trum reprehensibilem, & ecce Petrus in Epistolis suis
asserit Paulum in his, quæ scripserat, admirandum. Cer-
te enim nisi legisset Petrus Pauli epistolas, non lau-
dasset. Si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis di-
ceretur, invenit. Amicus ergo veritatis laudavit etiam,
quod reprehensus est, atque & hoc ipsum placuit, quia
in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat, sensit.
Seque etiam minori fratri ad consensum dedit, atque
in eadem re factus est sectator minoris sui, ut etiam in
hoc præiret: quatenus qui primus erat in Apostolatus cul-
mine, esset primus & in humilitate. Pensate ergo:
in mentis vertice stetit, qui illas epistolas laudavit, in
quibus scriptum se vituperabilem invenit.

subtrahere , qui & Centurionem Cornelium baptizārat. Et cum ascendisset Hierosolymam disceptantibus adversus se , qui erant ex Circumcisione , & dicentibus :
 Aet. XI. 30. Quare introisti ad viros præputium habentes , & man-
 ducasti cum illis ? post narrationem vistoris , tali re-
 sponsonem fine concluserit : Si ergo eamdem gratiam
 dedit illis DEUS , sicut & nobis , qui credimus in
 Dominum JESUM Christum ; ego quis eram , qui possem
 prohibere Deum ? Quibus auditis tacuerunt , & glori-
 ficaverunt Deum , dicentes : Ergo & gentibus Deus pœ-
 nitentiam ad vitam dedit : maxime cum Lucas scriptor
 historiæ nullam hujus dissensionis faciat mentionem , nec
 dicat umquam Petrum Antiochiæ fuisse una cum Pau-
 lo , & locum dari Porphyrio blasphemanti , si aut Pe-
 trus errasse , aut Paulus procaciter Apostolorum Prin-
 cipem confutasse credatur . Quibus primum responden-
 dum , alterius nescio cuius Cephae nescire nos nomen ,
 nisi ejus , qui & in Evangelio , & in aliis Pauli epi-
 stolis , & in hac quoque ipsa modo Cephas , modo Pe-
 trus scribitur . (7) Non quod aliud significet Petrus ,
 aliud Cephas ; sed quod quam nos Latine , & Græce
 petram vocemus , hanc Hebræi , & Syri propter lingua
 inter se viciniam Cephan nuncupant . Deinde totum ar-
 gumentum epistole , quod oblique de Petro , Jacobo , &
 Joanne dicitur , huic intelligentiæ repugnare . Nec mi-
 rum esse , si Lucas hanc rem tacuerit , cum & alia
 multa , quæ Paulus sustinuisse se replicat , historiogra-
 phi licentia prætermiserit : & non statim esse contra-
 rium , si quod alius ob caussam dignum putavit rela-
 tu , alius inter cetera dereliquit . Denique primum
 Episcopum Antiochiæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus ,
 & Roman exinde translatum , quod Lucas penitus omi-
 sit . Ad extreum si propter Porphyrii blasphemiam
 alius nobis fingendus est Cephas , ne Petrus putetur

er-

(7) Joannes cap. I. 42. Tu es Simon filius Jona:
 tu vocaberis Cephas , quod interpretatur Petrus . Idem
 Cephae nomine septies vocatur a D. Paulo , quater Epist.
 i. ad Cor. cap. I. 12. III. 22. IX. 5. XV. 5. ter Epist.
 ad Gal. cap. II. 9. 11. 14.

HISTORICA I.

?

errasse, infinita de scripturis erunt radenda divinis,
quæ ille, quia non intelligit, calumniatur. (8)

His, quæ hactenus dicta sunt verbis ipsis Patrum gravissimorum Chrysostomi, Gregorii, Hieronymi, consentit S. Cyprianus epist. 71. ad Quintum, (9) & qui eundem Cyprianum insecurus est, summus Doctor Augustinus epist. 82. cap. 3. ubi adversus Hieronymum ostendit, Petrum non simulate, sed ex animo reprehensum a D. Paulo. D. Thomas, (10) Baronius ad an. Ch. 51. §. 35. Bellarininus de Rom. Pont. lib. 1. cap. 28. & lib. 4. cap. 8. Vasquezius in Primam secundæ S. Thomæ tom. 2. disputat. 182. cap. 7. utque alios omittam, Augustinus Calmet dissertat. 1. in Epist. S. Pauli ad Galatas.

Qui Cephaïn a D. Paulo reprehensum volunt diversum fuisse a D. Petro Apostolo, atque unum ex septuaginta discipulis, sententiæ suæ auctores proferunt S. Clementem Alexandrinum libro hypotyposeon quinto, (11)

A 4

Do-

(8) S. Hieronymus in Epistolam ad Galatas cap. 2. tom. 7 pag. 408. & 409.

(9) Ejus verba sunt: Nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de Circumcisione postmodum disceptaret; vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari a novellis & posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile consentit, documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra animemus, sed quæ aliquando a fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus.

(10) Prima secundæ quæst. 103. art. 4. Vide annotat. 4.

(11) In quo etiam Cephaïn illum, cui Antiochiam ingresso Paulus se restitisse dicit, quoniam reprehensione

Dorotheum Tyrium, (12) Chronicon Alexandrinum seu Paschale, (13) OEcumenium, qui sententiam illam dicit *similem vero esse*: (14) Hieronymum loco memorato scribentem, esse qui Cepham, cui in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de Septuaginta discipulis isto vocabulo nuncupatum; & S. Anselmum, qui in Epist. ad Gal. ait, esse nonnullos, qui non Petrum Apostolorum principem, sed quemdam alium ejusdem nominis, qui a Paulo reprehensus est, accipiunt.

At

sione dignus erat, unum ait fuisse ex Septuaginta discipulis Petro Apostolo cognominem, ut est apud Eusebium lib. 1. Hist. Eccl. cap. 12.

(12) In Commentario De Septuaginta Domini discipulis, qui exstat ad calcem Chronicorum Paschalium pag. 344. edit Venetæ: Cephas, quem Antiochiae coarguit Paulus Apostolus, qui & Coniæ fuit Episcopus.

(13) Pag. 171. ubi inter Septuaginta discipulos numeratur tertius Cephas Petro cognominis, cum quo congressus est Paulus de Judaismo.

(14) Theophylactus in Epist. ad Gal. cap. 2. num. 14. pag. 455. Eusebius dicit, non Magnum Petrum a Paulo reprehensum, sed alium quemdam Cepham, unum ex Septuaginta. Atque hoc se confirmare putat, consentaneum non esse dicens, eum, qui in principio defendisset sese, quando cum Cornelio manducans offendisset quosdam, rursus opus habere hujusmodi increpatione. At, o sapientissime, neque nos dicimus Petrum ceu ignorantem quid facto opus esset, a Paulo increpatum esse, sed voluntario sustinuisse objurationem, ut alii emendantur. OEcumenius in eamdem Epist. ad Gal. cap. 3. pag. 731. tom. 1. Eusebius Pamphili in Ecclesiastica historia ostendit, hunc Petrum non esse Cepham, sed ejusdem cum ipso nominis unum ex Septuaginta. Et apparentiam habet hic sermo.

Nimirum refert hoc Eusebius lib. 1. Hist Eccl. cap. 72. ex Clementis Alexandrini lib. 5. Hypotyp. ac rursus ex Eusebio refert OEcumenius in Commentario: Estius in Epist. ad Galat. cap. 2.

At liber Hypotyposeon periiit, & nusquam, quantum ego quidem sciam, apud S. Clementem Alexandrinum Cephas, quem Paulus coarguit, unus ex Septuaginta discipulis fuisse traditur. Quia de re filet etiam Photius in Bibliotheca cod. 109. pag. 286. ubi ejus Libri, qui id temporis, saeculo videlicet nono, adhuc extabat, epitomen exhibit, ostenditque ejus auctorem, quicunque sit, seu ipse (Clemens Alexandrinus) seu quis alius personam indutus, non pauca impi omnino & fabulose differere. Unde cognoscitur, quanta sit auctoritas Hypotyposeon, quarum scriptor dubius est, impius, fabulosus. (15)

Fabulosus item a viris doctis habetur Dorotheus Tyrius, & ideo solum ab ipsis profertur, ut falsas quasdam opiniones quarto etiam saeculo notas fuisse & cognitas probent. Bellarminus de Script. Eccles. pag. 60. agens de Dorotheo Tyriensi. *Iste numerat inter 72. discipulos Christi omnes, qui ab Apostolo Paulo nominantur, etiamsi Ethnici fuerint, vel feminæ, & illos omnes non solum discipulos Domini, sed etiam Episcopos facit. Non meminissem Libri tam fabulosi, nisi vidi sem, a multis citari, & non minimi fieri. Itaque, ut ait Estius in Epist. ad Gal. cap. 2., magis credendum Eusebio antiquitatis Ecclesiastice scientissimo, qui loco superius allegato palam testatur, nullum Septuaginta discipulorum catalogum uspiciem exstare.*

Sublestæ quoque fidei hac in re est Auctor Chronicus Alexandrinus seu Paschalis, qui a multis creditur fuisse

(15) Rufinus in *Apologia pro Origene* tom. 9. operum S. Hieronymi pag. 130. edit. Parif. 1643. Clemens quoque alius Alexandrinus presbyter & magister Ecclesiæ illius, in omnibus pene libris suis Trinitatis gloriam atque aeternitatem unam eamdemque designat: & in eisdum invenimus aliqua in libris ejus capitula, in quibus Filium Dei creaturam dicit. Nunquid credibile est de tanto viro tam in omnibus Catholico, tam erudito, ut vel sibi contraria senserit, vel ea, quæ de Deo, non dicam credere, sed vel audire quidem impium est, scripta reliquerit?

Gregorius Pisides, qui sæculo septimo vixit, anno Christi circiter 630. Huic enim utpote recentiori præferendus sine controversia Eusebius, qui tribus ante sæculis tradit lib. 1. Hist. Eccl. cap. 12. Septuaginta discipulorum seriem nullibi perscriptam reperiri.

OEcumenius quoque in numero recentium scriptorum est, & vocans opinionem illam πιθανὸν λόγον, verismilem rumorem, satis indicat, se illi valde non assentiri.

Jam vero Hieronymus, & Anselmus verbis recitatis aperte ostendunt, paucos illos, qui Cepham ajebant diversum esse a D. Petro, minimam atque adeo nullam habuisse auctoritatem vetustatis: allatasque ab eis rationes fuisse admodum infirmas, cum ab eorum sententia discesserint in contrarium. Quo plane modo refellendi sunt, si qui forte objiciant testimonium Chrysostomi & Gregorii, quod simile prorsus est testimonio Hieronymi & Anselmi. Adde, quod nemo ignorat, magnum fuisse inter Hieronymum & Augustinum de Cepha a Paulo reprehenco certamen, Augustino ajente, Hieronymo negante, Cepham reprehensibilem fuisse. Augustinus quidem certe in discipulum potius, quam in Vicarium Christi culpam hujusmodi contulisset: nec Hieronymus adeo laborasset, ut Cepham culpa liberaret, si docere potuisse, illum non esse eundem, ac Petrum Apostolum. Adde insuper Commentaria in Epist. S. Pauli, quæ Anselmi Cantuariensis nomine feruntur, eidem abjudicari, & a Bellarmino quidem tribui Hervæo Narali Britanno, qui vivebat anno 1325. a Labbeo autem & Gerberonio adscribi *Hervæo Monacho Burdigaleusi*. (16)

Alia adversariorum argumenta sunt, Cepham a D. Paulo reprehensum Antiochiæ: Petrum autem ibi numquam fuisse simul cum Paulo, quod, perpensis utriusque itineribus, tempus non sit, quo simul uterque in eadem Urbe fuerit. Cepham fuisse Judæum,

Pe.

(16) Bellarminus de Scriptor. Eccles. ad an. 1081. pag. 343. Labbeus item de Script. Eccl. pag. 344. Gerberonius Proloquo in omnia S. Anselmi opera.

Petrum Galilæum, illum fuisse *reprehensibilem*, quod de Apostolo Petro dici non debet: eundem a Paulo objurgatum coram omnibus contra Christi Domini præceptum de correctione Matth. XIII. 15.: eundem postpositum Jacobo, aliisque: (17) eundemque ideo Cepham ter vocatum a D. Paulo, cum bis ante nominasset Petrum, ut significaret, Cepham esse diversum a Petro: (18) Ecclesiam denique ipsam iis adversari, qui putant Cepham esse Petrum, cum in Concilio Tridentino sess. 4. probaverit Vulgatam sacrorum Librorum editionem, quæ in memorato D. Pauli loco Cepham habet, non Petrum, ut est in autographis exemplaribus Græcis.

Verum quod attinet ad primum argumentum, quod totum conjecturale est, *omnes definiunt*, & nemo probat, ut ait Caspar Sanctius, quicum sentiens Joannes Lorinus hortatur interpres, ne hoc loco laborent temporibus definiendis. S. Petrum fuisse Antiochiæ, constat ex Traditione, & antiqua Ecclesiæ historia. Quoties autem & quo tempore fuerit, ignotum est. Etiam S. Paulum multoties ibidem fuisse, liquet ex Actis Apostolorum, ejusque epistolis: quo autem anno Æræ Christianæ in eadem Urbe fuerit, prorsus latet, scriptoribus dissentientibus inter se. Esto igitur, nemo definire queat annum, quo Petrus & Paulus simul Antiochiæ fuerunt, non inde tamen efficitur, eos numquam Antiochiæ simul fuisse. Siquidem non sunt duo hæc adeo inter se conjuncta, ut alterum alteri consequens sit. (19)

Venio

(17) *Ad Galat cap. II. 9, Jacobus, & Cephas, & Joannes. Et 1. ad Cor. cap. I. 12. Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi.*

(18) *Ad Galat. cap. II. 7. 8. semel atque iterum usurpat nomen Petri, & 9. 11. 14. ter nomen Cephæ.*

(19) *Cæsar Calinus Exercitatione Historica in Acta Apostolorum Italico sermone scripta lib. 2. cap. 5. pag. 218.*

Venio ad secundum, & fateor, me nescire ex qua Tribu fuerit S. Petrus. Scio autem, Christum Dominum, Mariam Virginem, & Josephum, licet genus ducerent ex Tribu Juda, vocatos nihilominus fuisse Galilæos, quod domiciliu[m] haberent in Galilæa. Petrus igitur ortu ac domicilio Galilæus fuerit, genere Judæus. Advertendum illud etiam, post Babylonis captivitatem omnes Jacobi posteros, cuiuscumque essent Tribus, dictos esse Judæos, quemadmodum eos hodieque vocamus. (20) Et quidem Paulus postquam dixit, Cepham Judæum: *Tu Judæus cum sis*, versus sequenti ipse quoque se Judæum appellat: *Nos natura Judæi*, quamvis certum sit, D. Paulum fuisse ex Tribu Beniamin.

Cephas porro reprobabilis erat, non quod doceret Christianis mandata Legis custodienda, & observanda esse Legitima, sed quod sibi in vietu non constaret timens eos, qui ex circumcisione erant, id est Judæos non quidem timore humano sive mundano, sed timore caritatis, ne scilicet scandalizarentur, sicut dicitur in Glossa. Et ideo factus est Judæis tamquam Judæus,

118. S. Augustinus epist. 82. alias 19. cap. 3. §. 11. Magis arbitror ante Hierosolymitanum Concilium Petrum a Paulo reprehensum fuisse. Baronius tamen ad an. 51. §. 31. atque Estius in Epist. ad Galat. cap. II, 11. id contigisse existimant, conventu Apostolorum Hierosolymis absoluto. Id enim, subdit Estius, postulare videtur ordo narrationis Paulinæ. Patet etiam ex Actor. 15. Paulum absoluto Concilio statim Antiochiam esse reversum, nec admodum diu ibi moratum. Quare verisimile est, per id tempus illuc advenisse Petrum, & cetera, quæ hic narrantur, acta fuisse. Nisi quis putet, ista eo tempore contigisse, quando iterum Paulus aliquamdiu hæsit Antiochiae.

(20) Jacobi seu Israëlis posteri post Babylonis captivitatem Judæi vocati sunt, quod tunc Tribus Juda omnibus Tribubus & vi & numero major esset, & quod exteri prater eam cæteras vix nossent. Augustinus Calmet in Dictionario, verbo Israëlitæ.

dæus, simulans se eum infirmis idem sentire, sed ramen inordinate timebat, quia veritas numquam dimitenda est propter timorem scandali. (21) Tertullianus adversus Marcionem lib. 5. cap. 3. Paulus reprehendit Petrum non recto pede incidentem ad Evangelii veritatem. Plane reprehendit, non ob aliud ramen, quam ob inconstantiam victimus, quem pro personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumcisione, non ob aliquam divinitatis perversitatem, de qua & aliis in faciem restitisset, qui de minore causa conversationis ambiguæ Petro ipsi non pepercit. (22)

Quod autem eoram omnibus (Cepha in Paulus objurgaret, sive ille fuerit, sive non fuerit Petrus Apostolus) necessitas coegit, ut omnes illius objurgatione sannaren-

(21) S. Thomas in Epist. ad Gal. c. 2. Lect. 3. pag. 120. tom. 16. Idem 2. 2. quæst. 43. art. 6. ad 2. Petrus peccavit & reprehensibilis fuit secundum sententiam Augustini (epist. 28. alias 8.) & ipsius Pauli, subtrahens se a Gentilibus, ut vitaret scandalum Iudeorum, quia hoc incaute aliqualiter faciebat: ita quod ex hoc Gentiles ad fidem conversi scandalizabantur: non tamen factum Petri erat tam grave peccatum, quod merito possent alii scandalizari. Unde patiebantur scandalum passivum: non autem erat in Petro scandalum activum. Vide Baronium ad an. 51. §. 40. & Vasquez in Primam Secundæ D. Thomæ tom. 2. disput. 182. cap. 7.

(22) Idem Tertullianus De præscr. Hæret. cap. 23. pag. 210. Si reprehensus est Petrus, quod, cum convixisset Ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu, utique conversationis fuit vitium, non prædicationis.

S. Hier. in Ep. ad Gal. c. 2. p. 407. r. 7. Quod autem ait, reprehensibilis erat, pròpterea invidiæ temperavit, ut intelligamus non tam Paulo eum fuisse reprehensibilem, quam his fratribus, cum quibus antea edens, se ab eis postea separabat. Vide Petrum de Marca lib. 3. de concordia Sacerdotii & Imperii cap. 15. §. 7.

narentur. Non enim utile erat errorem, qui palam noceret, in secreto emendare. Huc accedit, quod firmitas & caritas Petri, cui ter a Domino dictum est, Amas me? Pasce oves meas; objurgationem talem posterioris pastoris pro salute gregis libentissime sustinebat. Ita Augustinus in Expositione Epistolæ ad Galatas §. 15. Unde liquet, subdit Estius in eundem locum, hic a Paulo nihil fuisse peccatum adversus ordinem fraternalę correctionis in eo, quod publice Petrum objurgavit absque prævia privata admonitione. Nam publica salus ita fieri postulabat. Solum autem Petrum alloquitur, quod is suo exemplo ceteris auctor fuisset simulationis, quodque eo correcto, cuius apud omnes erat summa auctoritas, aliorum correctio facile secutura esset.

Quintum refello hoc modo. In Evangelio, ubi omnium Apostolorum catalogus exhibetur, semper Petrus ponitur primus: at ubi non omnes simul numerantur, nullus servatur ordo dignitatis. Utique S. Paulus major erat Barnaba, nihilominus eum Lucas post Barnabam nominat, imo post Simonem, qui vocabatur *Niger*, post Lucium Cyrenensem, aliosque, (23) Ad hæc Angelus apud S. Marcum cap. XVI. 7. loquens ad mulieres Petrum postponit aliis discipulis. Quod igitur Cephas post Jacobum, aliosque recensatur, non inde effici cogique potest, Cepham non esse eundem, ac Petrum.

Ad sextum dicendum est, S. Petrum triplici nomine appellatum, Simonem, Petrum, Cepham; ideoque potuisse quoquinque ex his nomine a D. Paulo designari. (24)

Postre-

(23) Auctor. cap. XI. 30. Per manus Barnabæ & Sauli. XII. 25. Barnabas & Simon, qui vocabatur *Niger*, & Lucius Cyrenensis, & Manahen... & Saulus. Idem Lucas Act. cap. I. 14. Mariam matrem Jesu, quæ mulieribus ceteris dignitate longe multumque præstabat, post alias mulieres recenset. Paulus quoque ad Gal. cap. I. 1. Jesum Christum ante Deum Patrem memorat.

(24) Vide supra positam annotat. 7.

Postremum sic refutatur. Ecclesia in Tridentina Synodo approbans Vulgatam Sacrae Scripturæ editionem, quæ Cepham a D. Paulo reprehensum habet, non refragatur antiquis Auctòribus afferentibus, Cepham a Paulo reprehensum euìdem esse, ac Petrum; sed indicat potius, vocem utramque, Petrum nempe & Cepham, perinde exprimere veram D. Pauli sententiam, cum utraque vox idem significet. Clara enim sunt verba illa Christi Domini ad Petrum: *Tu es Simon filius Jona: tu vocabaris Cephas, quod interpretatur, Petrus.* (25) Præterea non est credibile, Ecclesiam, cum versionem sacrorum librorum Vulgatam sequendam Fidelibus proposuit, voluisse Græcorum Codicium auctoritate omnino imminuere. Quippe, ut ait S. Augustinus lib. 2. De Doctrina Christiana extremo cap. 15. *Libros Novi Testamenti, si quid in Latinis varietaribus titubat, Græcis cedere oportere, non dubium est.* Igitur neque illud credi potest, Ecclesiam iis esse contraria, qui Petrum, ut est in Græco Textu, pro Cepha legerunt, alioquin contra eos Patres faceret, quos tamquam Doctores veneratur & colit.

(25) *In Evangelio Joannis cap. I. 42.*

DISPUTATIO II.

De Cathedra D. Petri Antiochena.

Antiochia totius Orientis metropolis, (1) prima
primi

(1) *S. Hieronymus in Libro contra Joan. Hierosolymitanum §. 37. tom. 2. pag. 447. alias epist. 61. cap. 15.* Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicenæ Concilii canonibus uteris, & alienos Clericos, & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris usurpare, responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæstina metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia.

Petrus

primi Apostoli sedes esse monstratur. (2) *Æquum enim erat, ut ea, quæ nomine Christianorum ante universum orbem terrarum ornata fuit, primum Apostolorum pastorem acciperet.* Sed cum eum doctorem accepisset, non in perpetuum retinuit, sed Regiæ Civitati Romæ illum concessit (3) post annos fere septem. Etenim si Eusebium audimus, qui Antiochenæ Ecclesiæ proximus vetera ejus monumenta cognovit, ita loquitur in Chronico : *Petrus Apostolus, cum primum Antiochenam*

Petrus de Marca lib. 1. De concordia Sacerdotii & Imperii cap. 3. §. 5. Juris istius (metropolitici) quasi possessione in plerasque provincias conspicuae erant tres illæ Imperii Romani Civitates, Roma Orbis Domina, Alexandria Ægyptiaci regni princeps, & Antiochia regina Orientis, quarum Civitatum Episcopi eximiis privilegiis gaudebant; quæ consuetudine & moribus firmata primum, postea Nicænæ Synodi decreto sancita sunt. Canone 6. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 46.

(2) *Innocentius I. epist. 18. §. 1. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 1269.*

Cur Petrus Antiochiae potius, quam alibi sedem posuerit, docet Gaspar Sanctius Tractatu 1. de Prædicatione S. Jacobi in Hispania cap. 11. pag. 20. Cathedra Petri Catholica erat, idest universalis, quæ neminem excludit: & ideo videri potest ibi (Antiochiae) a Petro Cathedra primum erecta, licet alibi esset Ecclesia ex Judæis congregata. Nam Hierosolymitana neandum judicari poterat universalis, quia nondum Gentes ad miserat..... Quod si quis eam ob caussam Antiochiae locatam esse Cathedram eredat, quia ibi pacifice Petrus docere potuit, sane ideo ortam Ecclesiæ pacem esse arbitror, quia ex Gentilibus jam ibi multi crediderant, quorum auctoritate Fideles tueri poterant contra tot hostes Evangelii publice, & Christi caussam, & Christianum nomen, quod ibi primum Fideles seperant.

(3) *S. Joan. Chrysostomus hom. 6. in inscriptionem Actor. II. §. 6. tom. 3. pag. 70. alias serm. 12. tom. 5. pag. 163.*

nam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur. (4) Eodem modo Hieronymus de Viris illustribus cap. 1. Petrum refert Romam perrexisse post Episcopatum Antiochenum Ecclesiæ, & cap. 16. Ignatium tertium post Petrum Apostolum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum fuisse confirmat. (5) Accedit Auctoritas summorum Pontificum Gelasii, & Gregorii Magni. Gelasii sunt hæc in Concilio anno 494. Romæ celebrato: Tertia vero Sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eo quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. (6) Gregorius vero: Cum multi sint Apostoli, inquit, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, que in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere & presentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in qua Evangelistam discipulum misit. (7) Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus

(4) Ad an. Dom. 44. & antea ad an. 38.: Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit. *Chronicon Paschale*, seu *Alexandrinum* ad an. 39. tom. 4. *Hist. Byzant.* pag. 184. edit. *Veneræ*: Petrus Apostolus primus Ecclesiæ Antiochenæ fundamenta jecit. *Consentit Ado Viennensis in Chron. ætate 6. Bibl. Patr.* tom. 16. pag. 788.

(5) *Origenes in Lucam hom. 6. pag. 224.* Ignatium dico Episcopum Antiochiæ post Petrum secundum.

Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. cap. 26.: Ignatius secundus post Petrum Antiochensem Ecclesiam sortitus est. *Vide Historiam nostram Apostolicam in D. Petro.*

(6) *Apud Labbeum tom. 4. Cont. pag. 1262.*

(7) *Gelasius in memorato Concilio Romano tom. 4. Conc. Labbei pag. 1262.* Secunda autem Sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus & discipulo & Evangelista consecrata est. Ipseque a Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis predi-
cavit, & gloriosum consumavit martyrium.

surus fedit. (8) Jure autem ac merito dicitur inde *discessurus* non tantum Romam, sed etiam ad invisen-
das subinde alias Ecclesias, præsertim Hierosolymita-
nam. (9) *Nam cui non tantum unius Civitatis, sed*
totius

(8) *Lib. 7. epist. 40. alias 37. pag. 888.*

Liber Pontificalis in Vita D. Petri: Primus fedit Ca-
thedram Episcopatus in Antiochia annos septem

S. Leo Magnus epist. 92. ad Maximum Antiochenum
cap. 2. Et ideo, frater carissime, oportet dilectionem
tuam toto corde prospicere, cuius Ecclesia gubernacu-
lis te Dominus voluerit præsidere, & ejus meiniisse
doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium bea-
tissimus Petrus per totum quidem mundum, sed spe-
ciali magisterio in Antiochena, & Romana Urbe fun-
davit.

Baronius ad an. 39. §. 21. : *Eusebius in Chronico*
ponit Ecclesiam Antiochenam fundatam a Petro anno
ultimo Tiberii Imperatoris, Olympiade ducentesima
tertia, anno quarto: rursus vero Olympiade ducente-
simæ quinta, anno secundo, quo ab eo adscribitur
Claudii Imperatoris secundus annus, ab eodem ponitur
Petri Romanus profectio. Numerando igitur ab anno
quarto diætæ ducentesimæ tertiaræ Olympiadis usque ad
annum secundum ducentesimæ quintæ, septem colligi
annos, quis non videt? unum videlicet ducentesimæ
tertiæ, quatuor ducentesimæ quartæ, ac duos ducen-
tesimæ quintæ Olympiadis. Sicque septem saltem in-
choati numerantur anni a tempore institutæ Sedis An-
tiochenæ usque ad Petri Romanus versus profectionem.

Papebrochius in Conatu Chronico-Historico dissertat. 2.
De Sede S. Petri Antiochena & Romana apud Bollan-
dum tom. 8. Maji pag. 11. num. 1.: Quain certum est,
utramque Sedem constituisse ac tenuisse Petrum; tam
difficile est, certo definire, quo anno utramque occu-
pare cœperit, & quot annis tenuerit.

(9) *Quare S. Paulus anno tertio post conversionem*
suam Petrum Hierosolymis invenit. Sribit enim ad
Galatas cap. 1. 18. Deinde post annos tres veni Hie-
rosoly-

totius Christiani Orbis onus incumbebat, quique omnibus prospicere, omnes, si posset, invisere, instituere, monere, hortari, ac denique universum gregem sibi creditum pascere tenebatur, quonam pacto illis præser-tim temporibus, cum Fides Christiana a Gentibus, atque Iudeis ubique vexaretur, unius Civitatis licet amplissima valuit angustiis contineri, & non potius (quod ab eo factum ex Luca Actor. IX. videmus) circumjens regiones, universas adiret Ecclesias? Sic igitur accipiendum est, Petrum annis septem præfuisse Episcopum Ecclesiae Antiochenæ, quod donec alia ab eo Sedes, nempe Romana (quam maximam omnium esse voluit) esset erecta, ipse Petrus sit dictus Episcopus Antiochenus, inde vero Episcopus Urbis fuerit appellatus. (10) Sed quid plura? cum Ecclesia ipsa Catholica memoriam Cathedræ Petri Antiochenæ VIII. Kal. Martii quotannis celebrans satis superque id, quod urgemus, evincat. (11)

B 2

Quæ

rosolyinam videre Petruin, & mansi apud eum diebus quindecim.

(10) Baronius ad an. 39. §. 17.

(11) Bollandus 22. Febr. tom. 3. pag. 283. num. 3. Extat Sedis illius memoria in Martyrologio VIII. Kal. Martii. Martyrologium MS. S. Hieronymi, sive vetus Romanum, *Cathedra Petri in Antiochia*. Consentunt vetus Romanum a Rovveida editum, Usuardus, Ado vulgatus, & pleraque MSS. etiam Bedæ nomen præferentia. Alioquin typis excusum Bedæ Martyrologium ita habet: *Cathedra S. Petri*, qua sedit apud Antiochiam, ubi & primum cognominati sunt discipuli Christiani. Eadem leguntur in hodierno Romano Martyrologio, & Rabani. Wandelbertus quoque in metrico Martyrologio ita habet.

Octavoque Petri Cathedra & doctrina coruscat,

Urbs lata Antiochi quo primum Præsule vernat.

Joannes Beletus cap. 83. Divinorum Officiorum: Fuit consuetudo veterum Ethnicorum, ut singulis annis mense Februarii, certo quodam die epulas ad paren-tum

Quæ cum ita sint, quis non miretur, Onuphrius Panvinium novam quamdam & inauditam de Antiocheno Cathedra opinionem animo imbibisse, atque sine ullo veteri testimonio, immo contra totius Antiquitatis consensum (12) affirmasse, Petrum ante ad Urbem adventum, Antiochiae septem annis non sedisse, (13) ideoque Antiochenam Ecclesiam post Romanam fuisse ab eo institutam? Quam quidem opinionem rationi quoque esse contrariam, quis non videt? Nam ante id tempus, quo Petrum Antiochiam profectum existimat Panvinius, fuerunt ibi complures Fideles, ac recentis Ecclesiae disciplina ita viguit, novæque religionis cultus is fuit, ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli Christiani. (14) Necesse igitur est,

in

tum suorum tumulos apponenter, quas Daemones consumebant, cum inde non minus false, quam ridicule animæ refici crederentur. Putabant enim, hujusmodi epulas ab animabus circa tumulos errantibus absundi. Hæc autem consuetudo atque hujusmodi falsæ opinionis error a Christianis vix extirpari potuit. Quod quidem cum viri sancti animadvertisserint, ac penitus illam consuetudinem extinguere voluissent, instituerunt Festam de Cathedra S. Petri, tam de illa, quæ fuit Romæ, quam quæ Antiochiae, idque illo eodem die, quo abominanda illa ab Ethnicens siebant, ut solemní hoc festo pravæ illius consuetudinis festum omnino extingueretur. Unde etiam ab illis epulis festum hoc appellatum est B. Petri epularum. Vocatum etiam est Cara Cognatio, quia tunc et si fuerint vivorum parentum odia, tempore obitus deponuntur, ut ait Ptolomæus Silvius in Laterculo, qui est in Præfat. generali ad Januar. Bolland. cap. 4. §. 3. pag. XXXV.

(12) Jannes Lorinus in Actus Apostolorum cap. IX. 32. pag. 339.

(13) In annotat. ad Platinam de Vitis Pontificum Romanorum pag. 9.

(14) Actor. cap. XI. 26. Ex quibus refellitur Sudas in Lexico tom. 2. pag. 594. verbo Ναζηγαιος scriptus.

in Ecclesia illa ab aliquo Episcopo pietatem & religio-
nem confirmatam fuisse atque exercitam , ut populus
Christianæ disciplinæ assuesceret. Quem igitur mu-
neri huic præponis? Si hoc Petrum sustinuisse negas ,
Petrum in Episcopatu Antiocheno alicui ex discipulis
successorem facis , quo nihil videtur esse absurdius.
Sed esto , Romæ primum , deinde Antiochiæ Petrus
Sedem posuerit ; rogo te , vacuamne interim Roma-
nam Sedem reliquit , an non ? Fac , reliquisse : non
sedit ergo Romæ annos quinque & viginti , imo ne
viginti quidem , quod Historicis & Patribus gravissi-
mis repugnat : (15) si reliquisse negas , spiritualis
Polygamiæ & perniciosissimi exempli auctorem Petrum
constituis. (16) Faceſſat itaque de Sede Antiochenæ
recenter asserta sententia : sed quod antiqua traditio
docuit , quodque Patres testati sunt , ac semper tenuit
& hactenus tenuerit & obſervat Ecclesia , maneat firmum ,

B 3

ac

bens , tempore Claudii Romanorum Imperatoris , cum
Petrus Apostolus Evodiu[m] Antiochiæ Episcopum crea-
ſet , illos , qui prius Nazaræi , & Galilæi vocabantur ,
mutato nomine appellatos fuisse Christianos.

(15) Eusebio in Chronico ad an. Dom. 44. Claudii
2. ſcribenti : Petrus Romam proficiſcitur , ubi Evan-
gelium prædicans XXV. annis ejusdem Urbis Episco-
pus perſeverat.

S. Hieronymo de Viris illuſtribus cap. 1. pag. 823.
tom. 2. : Petrus secundo Claudii Imperatoris anno ad
expugnandum Simonem Magum Romam pergit , ibi-
que XXV. annis Cathedram Sacerdotalem tennit us-
que ad ultimum annum Neronis , id est decimum
quartum.

S. Prospero in Chronico integro pag. 703. Caffiodore
item in Chronico tom. 2. pag. 386. , ubi verba ipsa Eu-
ſebii deſcribunt. Bedæ Venerabili De ſex ætatibus ad
an. mundi 4007. tom. 2. pag. 110. Auctori Libri Ponti-
ficalis in Vita D. Petri , & antiquis Pontificum Roma-
norum Catalogis , ut legere eſt apud Schelſtratum An-
tiquitatis illuſtratae tom. 1. Diſſertat. 1. cap. 5. art. 4.

(16) Lege Baronium ad an. 39. §. 24.

ac suo robore inconcussum, nec ullo novitatis labefactetur accessu: ipsam scilicet Autiochenam Sedem primitus a Petro esse erectam atque institutam, in caue sedisse septem annis, (17) donec omni secundum translato jure summi Pontificatus studio majoris fructus Romam migraret, (18) & in Urbe maxima totius orbis principem Ecclesiam constitueret.

Est contra nos Apollonii testimonium, qui apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccl. extremo cap. 18. tamquam ex veterum traditione hæc refert, *Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent.* Non licuit igitur Petro Apostolorum Principi ante annum decimum secundum a morte Christi proficiisci Hierosolymis Antiochiam, ibique anno Christi septimo trigesimoque Ecclesiam instituere. At magis, quam Apollonio credendum est Actis Apostolorum a D. Luca conscriptis. Capite igitur 8. 9. & 10. legitur Petrus & Joannes ante expletos annos duodecim, Hierosolymis relictis, venisse Samariam, ipse vero Petrus Lyddam, Joppem, Cæsaream visitasse, antequam in vincula coniceretur; (19) postea nondum

(17) Baronius ad an. 39. §. 25. Vide nostram Historiam Apostolicam in D. Petro.

(18) S. Anselmus lib. 3. epist. 7. pag. 366.

(19) Lucas Actor. cap. IX. 32.: Factum est, ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ &c. Quæ verba sic illustrat S. Chrysostomus in Acta Apostolorum hom. 21. §. 2. pag. 170. tom. 9. Quasi Dux circuibat, ordines considerans: quæ pars esset adunata, quæ ornata, quæ sua præsentia egeret. Vide illum ubique circumcurrentem, & primum inveniunt, ubi eligendus erat Apostolus; hic primus fuit, cum dicendum erat Judæis, non esse ebrios Apostolos, cum claudus sanandus fuit, quando concionandum erat: hic ante alios erat, quando agendum cum Præfectis, quando cum Anania, cum ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum est, hic adest, & ubi quædam dispensanda sunt. Ubi vero tran-

dum elapsō illorum duodecim annoruī spatio, e carcerē ab Angelo eductū non modo Hierosolymis, sed etiam ex Iudaea discessisse. Præterea Christus Dominus ante suā in Cælum ascensionem apud Matthæum cap. XXVIII. 19. præcepit Apostolis, ut euntes docearent omnes gentes, & apud Lucam cap. XXIV. 49. ut federent in Civitate, quoadusque induerentur virtute ex alto, quod concessum ipfis est per adventum Spiritus Sancti. Accepto igitur Spiritu Sancto, via Christianæ Fidei prædicandæ Apostolis patefacta est. Et apud Lucam in Actis cap. I. 8. jussit eos sibi testes esse in Hierusalem, in omni Iudaea & Samaria, & usqne ad ultimum terræ, nulla præscripta mora temporis. (20)

Jam, inquis, si ante duodecim illos annos a Christo præfinitos Petrus & Joannes ivissent Samariam, Apostoli & Discipuli prædicassent Evangelium, prius-

tranquillæ res sunt, in communi omnes; hic majorem non appetit honorem. Rursum cum miracula edere oportebat, ille profiliebat. Et hic iterum ipse per se laborat, & iter agit.

(20) Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. cap. 5. traditionem ab Apollonio, non a Thrasea martyre, ut ipse putat, memoratam admittit, ac dicit, non imperiale Dominum, ut omnes Apostoli ad annos duodecim Hierosolymis morarentur: id enim constat esse falsum ex Actis Apostolorum cap. 8. 9. 10. sed ut non omnes inde recederent, verum aliquis semper, aut etiam aliqui ex Apostolis Hierosolymis manerent ad testimonium Hebræorum.

Papebrachius in Conatu Chronicō-Historico Dissertat. 2. De Sede S. Petri Antiochena & Romana, apud Bolland. tom. 8. Maii pag. 12. num. 2. primum dicit, Henschenium pro Hierosolymis totam Palæstinam substituentem, ita interpretari datum Apostolis a Christo præceptum, ne ultra Syriam ac vicinas regiones abiorent: deinde subjicit, esse vel Apolloni, vel ipsius Eusebii errorem hunc evidentem, annos duodecim præduobus scribentium.

quam Petrus linte de Cælo descendenter, & genus omne animantium continentis visione, quæ refertur Actor. cap. XI., admoneretur, Evangelium esse Gentibus prædicandum. Quid si doceo & planum facio, Samaritas non fuisse Gentiles, sed ex genere Proselytorum, (21) atque Circumcisionem & Legem Hebræorum observasse, quamvis aliquibus Ethnicorū cæremoniis essent addicti? Christus enim Dominus eos diversos facit ab Ethnicis, apud Matthæum cap. X. 5. verbis illis: *In viam Gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Ex quibus facile intelligis, eo spectasse Christi mandatum, ut Apostoli primum docerent Judæos, quorum erant promissiones, deinde Gentes. Quo pariter sensu accipienda sunt, quæ idem Christus Dominus dixit de se, apud eundem Matthæum cap. XV. 24. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Isræl,* cum ipse Samaritanam, & cum ea Samaritanos plurimos traxerit ad se.

Quod si adjicias, S. Lucam in Actis nullam mentionem fecisse de adventu Petri Antiochiam, nedum de institutione Ecclesiæ Antiochenæ, id nullum mihi negotium facessit. Petrum enim Antiochiæ fuisse, tradit D. Paulus in Epist. ad Galat. cap. II. 11. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti.* Lucas tamen ne verbum quidem facit de contentionē ea, quæ eidem Paulo fuit cum Petro. Ille enim intentus exponendis gestis potioribus D. Pauli, gesta multa aliorum Apostolorum, atque inter cetera Antiochenæ Ecclesiæ institutionem silentio præterivit. Rein totam sic explicat Hieronymus comment. in Epist. ad Gal. cap. 2. *Nec mirum esse, inquiens, si Lucas hoc Petri & Pauli dissidium tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licen-*

(21) Proselyti apud Judæos appellabantur, qui in eorum regione commorabantur, sive qui origine a Judæis alieni ad eorum religionem transferant. Augustinus Calmet in Dictionario Historico, verbo Proselytus.

licentia prætermiserit: & non statim esse contrarium, si quod alius ob caussam dignum putavit, relatu, alius inter cætera dereliquit. Deinde primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse, accepimus, & Romanum exinde translatum, quod Lucas penitus omisit.

Postremo urgeas, Ecclesiam Antiochenam institutam fuisse a Christianis Cypriis, & Cyrenæis, ut legitur Actor. cap. XI. 19. 30. Hic vero te admonitionem volo, me de Antiochena D. Petri Cathedra disputantem non intelligere, ipsum omnium primum Christi fidem in eam Civitatem invexisse (lubens enim discipulos illos, qui post necem S. Stephani Hierosolymis pulsæ sunt, Christianam religionem eo intulisse concedo) sed illud unum contendere, Petrum Apostolum fuisse primum, qui tamquam Antistes Ecclesiam Antiochenam gubernaverit, Christianis Antiochenis præsuerit, Ubemque Patriarchali dignitate donaverit.

DISPUTATIO III.

De Cathedra D. Petri Romana.

Cum duodecim Apostoli, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, (1) imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus princeps Apostolici Ordinis ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. (2) Ad Urbein igitur Romanum, cum jam Antiochenam Ecclesiam fundasset, (3) Petrus venit, ibique constitutæ ab se Ecclesiæ usque ad vitæ finem præfuit, inde utrinqe epistolam suam scripsit, atque in altera extremo cap. 5. Romanum designavit verbis illis: *Salutar vos Ecclesia, quæ est in Babylone*

C 5

col-

(1) Vide Historiam nostram Apostolicam, De Apostolis in universum.

(2) S. Leo serm. 80. cap. 3. tom. 1. pag. 164.

(3) Idem S. Leo ibidem cap. 5.

collecta: id quod omnes persuasum habuerunt usque ad s̄eculum Christi decimum sextum. Ex eo demum tempore exstitere Heterodoxi, qui veterum hæreticorum, & Schismaticorum audaciam, atque impudentiam supergressi docuerunt, D. Petrum neque Episcopum Romanum fuisse, neque Romanam venisse. (4) Inaudiā antea, & novam opinionem falsitatis convincit unanimis & constans Patrum tam Græcorum, quam Latinorum consensus, qui jam inde a principio Christianæ Ecclesiæ floruerunt.

Ex Græcis Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contubernialis *vetus homo*, (5) seu alii itē veteres apud Eusebium lib. 2. Hist. Eccl. cap. 15. Marci mentionem fieri ajunt a Petro in priore epistola, quam Romæ scriptam esse contendunt, idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellat his verbis: *Salutat vos Babylonis Ecclesia, a Deo perinde ac vos electa, & Marcus filius meus.* (6) Dionysius item

Bo-

(4) Primus quod sciam, qui docuit, D. Petrum neque Episcopum fuisse Romæ, neque Romanam ipsam unquam vidisse, fuit Gulielmus quidam Joannis Wiclephi præceptor, ut Thomas Waldensis refert lib. 2. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 7. Ita Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. cap. 1. Gulielmum istum secuti sunt Martinus Lutherus in Colloquiis ad mensam habitiis capite De Antichristo, Uldaricus Velenus Lutheranus, qui Librum in hanc rem edidit, Illyricus in lib. contra Primum Papæ, Joannes Calvinus lib. 4. Institut. cap. 6. §. 15. Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 10. pag. 432. aliique, ut legere licet apud Jodocum Coccum rom. 1. Thesauri Catholicæ lib. 7. art. 5. pag. 814.

(5) S. Irenæus lib. 5. adversus Hæreses cap. 33.

(6) Verba hæc a præcedentibus, quæ sunt apud eundem Eusebium, omnino sejungit Valesius in hunc Eusebii locum pag. 29. existimans non esse Papiæ, quemadmodum sunt præcedentia. At licet Papias non faveret allatæ explicationi, faveret tamen profectio D. Petri

Corinthiorum Episcopus in Epistola ad Romanos, *Soli*
teri tunc temporis Episcopo Romanae Urbis nuncupata
⁽⁷⁾ apud eundem Eusebium extremo cap. 25. Petri
& Pauli iu Urbem adventum certum affirmat. Irenaeus quoque vir Apostolicorum temporum, & Papiae
audit ris Evangelistæ Joannis discipulus, a Martyribus
Lugdunensibus ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus
Romam missus (8) sub Eleutherio, lib. 3. cap.
1. testatur, Petrum & Paulum Romæ evangelizasse, &
fundasse Ecclesiam. (9) Origenes similiter, in Gene-
fun

Petri Romam, ac probaret Petrum Romæ Episcopii
munus sustinuisse. Quod ibidem probat etiam Eusebius,
qui veterum seu Clementis Alexandrini, seu Papiae te-
stimonio asserit. Romam Babylonis nomine significari.
Quare Valesius ipse: Romanus Petrus figurate Babylonem
vocavit, vel ob magnitudinem ac potentiam, vel
propter impietatem, eo quod dæmonum cultui de-
dita tunc esset Roma, perinde ac olim Babylon. Po-
test etiam alia ratio hujus cognominis afferri, quod
scilicet ut Babylonii Judæos in servitatem redege-
rant; sic Romani tunc Judæos ditioni suæ subjeci-
sent. Sunt qui in dicta Petri epistola, Babylonis
nomine non Romam, sed Babylonem ipsam, quæ ca-
put fuit Assyriorum, designari contendant. Verum
hi omnium veterum Patrum testimonio refellun-
tur Nihil in tota historia Ecclesiastica illustrius,
nihil certius atque testatus, quam adventus Petri Apo-
stoli in Urbem Romam.

(7) Eusebius lib. 4. Hist. Eccl. cap. 23. pag. 117.

(8) Hieronymus epist. 75. alias 29. ad Theodoranum
Viduam, & de Viris illustribus cap. 35. tom. 1. pag.
450. & tom. 2. pag. 859.

(9) Idem S. Irenaeus eodem lib. 3. cap. 3.: Sed quo-
niam valde longum est in hoc tali volumine omni-
um Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ &
antiquissimæ & omnibus cognitæ, a gloriofissimis duo-
bus Apostolis Petto & Paulo Romæ fundatæ & con-
stitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Tra-
di-

sim tom. 2. pag. 24. & apud Eusebiū lib. 3. cap. 1. Petruim Romæ fuisse ad mortem usque, narrat. Quam narrationem comprobant etiam Patres Latini. Nam *Cajus vir Catholicus*, qui *Zephyrini Romanæ Urbis Episcopi temporibus floruit*, in eo libro, quem scripsit adversus *Proculum patronum sectæ Cataphrygarum*, de loco, in quo prædictorum Apostolorum (Petri & Pauli) sacra corpora deposita sunt; ita loquitur: *Ego vero, inquit, Apostolorum trophyæ possum ostendere.* Nam sive in *Vaticanum*, sive ad *Ostiensem viam* pergere libet, occurrent tibi trophyæ eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt. (10) Id ipsum assertit Tertullianus locis pluribus: (11) Afferit S. Cyprianus epist. 55. ad Cornelium, ubi Romanam Sedem Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem vocat. Consentit S. Ambrosius, qui lib. 3. de Sacramentis cap. 1. dicit, Petrum Sacerdotem fuisse Ecclesie Romanæ. Optatus etiam Milevitanus, qui lib. 2. cap. 2. *Negare non potes*, inquit, *scire te, in Urbe Roma*

ditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam proper potiorēm principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique Fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio.

(10) *Apud Eusebium lib. 2. cap. 25. pag. 54.*

S. Hieronymus epist. 46. alias 17. ad Marcellam §. 11. pag. 206. tom. 1.: Est quidem ibi Sancta Ecclesia, sunt trophyæ Apostolorum, & Martyrum.

(11) *De Præscript. Heretic. cap. 32. pag. 213. & cap. 36. pag. 215. De Baptismo cap. 4. pag. 225.* Et lib. 4. adversus *Marcionem* cap. 5. pag. 415.: Romani de proximo sonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. *Et Scorp. cap. 15. pag. 500.*

Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur: ut jam schismatiscus, & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram colloquaret. Quid autem plures ego testes in medium adduco? Illi enim omnes, quos bene multos Bellarminus de Rom. Pont. lib. 2. cap. 2. 3. & 4. Natalis Alexander dissertat. 13. in Hist Eccl. s̄ec. 1. Jodocus Coccius Thesauri Catholici tom. 1. lib. 7. art. 5. Pearsonius Oper. Posth. dissertat. 1. De successione primorum Romae Episcoporum cap. 7. re-censent, id quod probare contendimus, firmissime asseverant. Itaque Calvinus ipse Institut. lib. 4. cap. 6. §. 15. Propter Scriptorum consensum, non repugnat, quin Petrus Romae mortuus fuerit, etsi Episcopum fuisse, praeſertim longo tempore, persuaderi nequeat. (12) At si Scriptorum consensus effecit, ut non au-deret Calvinus negare, Petrum fuisse Romae, non video, quid cauſæ tandem fuerit, cur sibi e iam non persuaderet, Episcopum ejusdem Urbis fuisse. Nam qui Scriptores de Petri Romanam adventu non du-bitant, iidem de Episcopatu Petri Romano testantur. Id certe D. Augustino scribenti contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti, cap. 4. ita persua-sum fuit, ut fateretur, se eam etiam ob rem in Eccle-sia Catholica constanter permaneffisse, quod certam Ro-manorum Episcoporum successionem usque a D. Pe-trō perspectam, & exploratam haberet. *Multa sunt alia, inquit, quæ in ejus gremio me justissime te-neant...* Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pa-scendas oves suas post resurrectionem Dominus com-mendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio-Sacerdotum. (13)

Nunc

(12) Apud Jodocum Coccium Thesauri Catholici tom. 1. lib. 7. art. 5. pag. 815.

(13) Idem S. Augustinus contra litteras Petilianis lib. 2. cap. 51. Verificantem si omnes per totum Or-bem

Nunc antequam adversiorum argumenta refello, operæ pretium est aduersus eosdem probare, D. Petrum epistola prima Romæ scripta nomine *Babylonis* Romanum significare voluisse. Ita sane docet Papias Apostolorum discipulus, cuius verba supra recitavimus; ita S. Hieronymus De Viris Illustribus cap. 8. (14) Beda, OEcumenius, (15) veteres novique fere omnes. Nec ullo modo de Babylone *Ægypti*, aut Chaldaæ accipi potest ea Petri vox. Siquidem neque Scriptura, neque ullus veterum Historicorum tradit, Petrum in illis Urbibus fuisse, aut ibidem tunc temporis Ecclesiam extitisse, quæ vere dici Ecclesia posset. Ac de Babylone quidem, quæ est in Chaldaæ, sermone non esse, colligitur ex Josepho, qui lib. 18. Antiquit. Judaic. cap. 9. refert, Caii Augusti ævo Hebræos omnes illic & in Assyria tota habitantes ad unum expulsos fuisse, & internecione deletos. Num igitur *Ægypti* Babylonem significat? At obscurus plane locus erat, nec Urbis nomine dignus. Huc accedit, quod cum multa Concilia firmata subscriptionibus Episcoporum edita fuerint, nulquam inter eos reperire licet Episcopum Babylonis *Ægyptiacæ*, nisi post annos amplius quadringentos, quo primum tempore in Actione prima Concilii Chal-

ce-

bem tales essent, quales vanissime criminariis, cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedet, & in qua hodie Anastasius sedet?

(14) Tom. 2. pag. 829.: Petrus in epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romanum significans: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.*

(15) Beda in primam Epist. Petri cap. 5. pag. 713. tom. 5. Babylonem typice Romanam dicit, videlicet propter confusione multiplicitis Idololatriæ.

OEcumenius in eamdem Epistolam cap. 8. pag. 526. tom. 2.: Babylonem autem vocat Romanam, eo quod insignis, ac præclara esset, quod & Babylon multo tempore habuit.

cedonensis Cyrus ejus Urbis Episcopum fuisse , dicit ex Spanheimio Calmetus , vel post annos quingen-
tos , quando sub *Justino juniore* primum nominatur *Episcopus Babylonis in Ægypto Zosimus Cilix apud Sophronium* , ut Baronius narrat . (16) Babylon igitur , unde scribit S. Petrus , neque in Chaldæa erat , neque in Ægypto , sed in Italia , Roma nimirum , quam etiam Joannes in Apocalypsi cap. XVII. Babilonis vocabulo designat , interprete Tertulliano adversus Iudaos cap. 9. & Augustino lib 18. de Civit. DEI cap. 22. Præterea qui evitandi periculi caussa latent , nomina obscura , arcana & vulgo ignota usurpare consueverunt . Quod faciunt Reges plerumque , & exercituum Dukes , qui ad occultandam sententiam suam epistolas notis conseribunt , que sibi unis cum eo convaniunt , ad quem mittuntur . Quare cum S. Petrus ex Herodis Agrippæ manibus , quem amicum Claudi Imperatoris , & inimicum Christi Domini esse noverat , Angeli ope elapsus venisset Romam , ac timeret , ne forte epistola sua tradita Gentibus , palam fieret , plurimos Romanorum Christo nomen dedisse , atque inde contra ipsos persecutionis caussa nasceretur , ut malum hujusmodi provideret , locum texit , in quo cum multis Christianis degebat , Romamque arcano & mystico Babylonis vocabulo nuncupavit . Sic Paulus cum Timotheum certiorem faceret de liberatione sua ab Neronis crudelitate , proprium scelestissimi tyranni nomen reticuit , scribens ad eum , se liberatum de ore Leonis . (17) Quam ob rem Grotius , vir inter Protestantes magna commendatione famæ , annotat , in Epist. II. D. Petri : *De Babylone* , inquit , *dissentient veteres & novi Interpretes . Veteres Romam interpretantur , ubi Pe-*

(16) *Calmetus in Dissertat. De itinere Romano S. Petri præposita epistolis Canonicis. Baronius ad an. 45. §. 17.*

(17) *Epist. 2. apud Timotheum cap. IV. 17.*

Petrum fuisse, nemo verus Christianus dubitabit: novi Babylonem in Chaldaea. Ego veteribus assentior. (18)

Jam frivola & levia pertinacium Heterodoxorum argumenta convellamus. In divinis Litteris, inquit, non legitur Petrus fuisse Romæ. Belle enimvero, si ea omnia in dubium vocant, & negant, de quibus Scriptura sacra non meminit, negent etiam, D. Petrum mortuum esse, quandoquidem Scriptura mortem ejus non commemorat.

Addunt, S. Paulum scribentem ad Romanos cap. XVI. multis salutem dicere, nullam D. Petro: quod officium Paulus non omisisset erga Conditorem, atque Antistitem illius Ecclesiæ. Quid tum? Nonne Timotheus Episcopus erat Ecclesiæ Ephesinæ, & Jacobus Hierosolymitanæ? attamen Paulus ad Ephesios scribens illum salvare non jubet, nec in sua ad Hebræos epistola Jacobum adhuc superstitem salutat. Nonne fieri etiam potuit, ut Petrus Roma tunc abesset? Certe quidem D. Petrum Romæ non fuisse, cum Paulus scriberet ad Romanos, significat Paulus ipse epistolæ cap. I. 11. verbis illis: *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.* Nam si Romæ tum fuisset Petrus, Romanos idem confirmare potuisset. Non erat igitur Romæ Petrus, ideoque Paulus illuc ire ad eos confirmandos cupiebat, ne forte sine Pastore animos desponderent, & persecutio-

ni

(18) Tom. 8. Criticorum Sacrorum pag. 175.

Hieronymus lib. contra Joannem Hierosolymitnum
§. 3. alias epist. 61. cap. 1. pag. 409. tom. 2.

Synopsis Criticorum in 1. epist. Petri cap. 5. pag. 250. & 1541. tom. 5. Hæc enim Babylon vocatur hic, ut & Apoc. 17. & 18. vel 1. propter confusione Idolatriæ, quæ tunc in ea vigebat, vel 2. propter similitudinem magnificentiæ, frequentiæ, & amplitudinis imperii, peccatorum quoque, quæ tunc vigeant, vel 3. ut, si deprehenderetur epistola, non posset inde sciri, quibus in locis viveret.... Congruentias plurimas inter Babylonem & Romanum vide Orosii 2. 2. 3. 4.

ni succumberent. Hinc Theodoreus in cap. 1. epist. ad Rom. ita scribit: *Et quia primus eis magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit, necessario intulit, ad confirmandos vos.* S. Hieronymus quoque in euindem Pauli locum, *Romanos*, inquit, *Petri prædicatione fidem tenentes confirmare se velle Paulus dicit, non quo minus accepissent a Petro: sed ut duobus Apostolis testibus, atque doctoribus eorum roboraretur fides.* (19)

At Commentarii in Epistolam ad Romanos non sunt S. Hieronymi, sed Pelagii, vel hominis certe Pelagiani. Id ego quoque permotus auctoritate Monachorum Congregationis S. Mauri (20) concedo libens; gaudeoque, adversarios suis arnis confosso, & nec opinantes mecum sentire, non solum Catholicos, sed etiam antiquos Hæreticos persuasum habuisse, Romanam Ecclesiam fundatam a D. Petro, quamvis id Scriptura aperte non doceat.

Urgent adhuc, & nihil remittunt. Siquidem ex Acto cap. XXVIII. 22. constat, Judæos, ubi Paulus Romam advenit, eum statim rogasse, ut suam ipsam sententiam de secta Christianorum patefaceret: *Rogamus autem, a te audire, quæ sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Bene habet. At nemo non videt, Judæos a D. Paulo petiisse, non ut sibi Christi fidem traderet, quam jam acceperant a D. Petro, verum ut suam ipse de ea opinionem aperiret. Cum enim scirent, Paulum esse Legis peritissimum, eum optabant de Christiana religione, quæ odium & offendit Synagogæ incurrerat, disputantem audire. Et quidem si Fidem Christi non tenuissent Romani, quomodo Paulus ad eos scripsisset: *Fides vestra annunciatur in universo mundo?* (21) Ne

(19) S. Chrysostomus hom. 2. in Epist. ad Rom. pag. 437. tom. 9 Petrus illic (Romæ) prædicavit.

(20) Ejusdem sententiae est Natalis Alexander in Hist. Eccl. sæc. IV. cap. 1. art. 31. num. VII. pag. 170. tom. 4.

(21) Ad Romanos cap. I. 8.

Ne alia , utpote plena futilitatis , persequar , tres insuper habent causas , cur Petrum nunquam prefectum esse Romam contendant . Primum quia Lucas in Actis Apostolorum non meminit de profectione ea : deinde quia Paulus scribens ad Galatas cap . II . 7 . asserit , Petro demandatum *Evangelium Circumcisionis* , sibi vero creditum *Evangelium præputii seu Gentium* , ideoque etiam Romanorum , qui erant Gentiles : demum quia non convenit de tempore , quo Petrus dicitur Romam venisse .

Ad primum quod attinet , idcirco S. Lucas profec-
tionem D. Petri Romanum non refert , quia ejus insti-
tutum est gesta præsertim D. Pauli Praeceptoris sui
narrare , non vero aliorum Apostolorum facta omnia
singillatim describere . (22) Sane post caput Acto-
rum decimum sextum Petri oblitus videtur . Namquam
nec ea omnia , quæ spectant ad D. Paulum , Lucas me-
moriae prodidit . Etenim D. Hieronymus in cap . 2 .
ad Galat . ubi affert rationem , cur is non memine-
rit dissidii , quod Antiochiæ intercessit inter Petrum
& Paulum de observandis Legitimis , scribit , non mirum
esse , si Lucas hanc rem tacuerit , cum & alia
multa , quæ Paulus sustinuisse se replicat , historiogra-
phi licentia prætermiserit .

Tom. Ad secundum respondet D. Hieronymus in cit . cap .
7. pag . ad Galatas : Occulta hic oritur quæstio ; Quid igitur ?

204 Petrus si invenisset ex gentibus , non eos adducebat ad Fidem ? Aut Paulus si ex circumcisione aliquos repe-
risset , non eos ad Christi Baptismum provocabat ? Quæ
ita solvitur , ut dicamus , principale singulis in Ju-
daeos & Gentes fuisse mandatum , ut qui defendebant
Legem , haberent , quem sequerentur , qui Legi graziam
præ-

(22) S. Joan. Chrysostomus in Acta Apostol . hom .
1. tom . 9. pag . 2 . : Maxima pars autem libri Pauli ge-
sta sunt , qui plus omnibus laboravit : cuius rei causa
est , quod is , qui hunc librum scripsit , Beatus Lucas ,
ejus esset discipulus : cuius virtutem tum ex aliis mul-
tis cernere est , tum maxime , quod Doctori suo in-
desuenter hæserit .

præferebant, non deesset eis doctor, & prævius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent Legimus enim & a S. Petro gentilem baptizatum fuisse Cornelium, & a Paulo in Synagogis Iudeorum Christum sœpissime prædicatum. (23) Legimus etiam Petrum a DEO electum, ut per os ejus audirent Gentes verbum Evangelii, & Paulum conversum ad Gentes, quod Iudei, quibus oportebat primum loqui verbum DEI, repellerent illud, & indignos se judicarent æternæ vitæ. (24)

Ad tertium quod spectat. Libenter do, historiæ falsitatem colligi ex Scriptorum dissensu, si in historiæ præcipuis capitibus dissentiant: nego autem, si in circumstantiis duntaxat quibusdam non convenientiis. Contingit enim aliquando, ut de facti veritate constet, de tempore autem, quo id factum est, haud compertum sit. Quid certius Christi nativitate? quid morte? Quid tempore, quo natus, ac mortem passus est, incertius? (25) Similiter Christum mortuum esse sub fine Hebdomadum Danielis, tam certum est, quam quod certissimum. At unde inchoandæ illæ sint, ab Cyro ne, an ab Dario, an ab Ariaserxe Longimanio, an ab Artaserxe Memnone, magnum est inter Chronologos certamen. Iaque cum S. Petrum Romæ fuisse, & Romanam Ecclesiam constituisse, omnis testeur antiquitas, variæ ac discrepantes de tempore, quo Romanum advenit, sententiæ profectam ab antiquis veritatem infirmare nullo modo possunt. (26)

C 2

DISPU-

(23) *Actor.* cap. X. 47. cap. XIII. 14. & cap. XVII. 1. 2.

(24) *Actor.* cap. XV. 7. & cap. XIII. 46.

(25) *Vide Historiam nostram Familiae Sacrae* cap. 1. & 13. *De Christo Domino*

(26) *Orosius lib. 7. cap. 6.* dicit, Petrum Romanum denisse exordio Regni Claudi, *Eusebius in Chronicis*, S. Hiero-

Hieronymus *De Viris illustribus* cap. 1. secundo Claudi. *Faseiculus Temporum* anno quarto Claudi, alii septimo, alii decimo tertio, alii initio Regni Neronis, ut observat Honoratus a S. Maria tom. 1. *Animadversionum in Regulas, & usum Critics* dissertat. 3. art. 1. pag. 251.

Lactantius *De moribus persecutorum* cap. 2. scribit, Petrum Romanum advenisse, cum jam Nero imperaret. Anastasius quoque Bibliothecarius narrat, Petrum ingressum in Urbem Romanam sub Nerone Cæsare. Quem locum explicans Blanchinus in notis ad eundem Anastasium Bibliothecarium tom. 2. pag. 21. Initio scilicet principatus Claudi Neronis Drusi filii, cuius stirpem familiare fuit cognomentum Neronum, Sabina lingua fortem significans testibus Svetonio & Gellio, ut Ode 4. lib. 4. Horatius bis vocet Nerones ejus agnatos; & filius Domitius ascitus in gentem Claudiam Nero sit appellatus, prout hic etiam nominatur lin. 8. vel si de Domitio Nerone intelligit, posteriorem adventum Petri cum priore confundit.

S. Leo Serm. 80. cap. 4. pag. 164. tom. 1. ita alloquitur S. Petrum: Nec mundi Dominam times Romanum, qui in Caiphæ domo expaveras Sacerdotis ancillam. Numquid aut judicio Pilati, aut sævitia Judæorum minor erat, vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? ubi ad marginem adjicit Paschasius Quesnellus: Petrus sub Claudio Romanum venit, sub Neronne moritur.

Ecclesia nullam ex his Epocham probat, aut improbat: hoc solum ponit pro certo, utpote traditum a Majoribus, D. Petrum Romæ fuisse, & Ecclesiam Romanam fundasse. Cujus rei memoriam quotannis celebrat XV. Kat. Febr. nomine Cathedræ S. Petri Romæ. Est autem Romana Cathedra omnibus inscripta Martyrologiis, Romano, Bedæ vulgato, Usuardi, Adonis, Rabani, Notkeri, Bellini, & vetustissimo S. Hieronymi, aliisque MSS. perantiquis, ut est apud Bollandum die 18. Jan. tom. 2. pag. 182. §. 5. qui §. 6. subjicit, eam solemnitatem, quæ Romæ (incer- tum)

rum quibus caussis) exoleverat , a Paulo IV. restitutam
fuisse.

P. Quesnellus in admonitione præposita sermoni 96.
S. Leonis credit , usque ad Pauli IV. decretum , quod
anno 1558. die 13. Jan. editum est , unicam fuisse
in Ecclesia solemnitatem VIII. Kal. Martias , qua
utriusque (Cathedræ Romanae , & Antiochenæ) me-
moria , vel potius generaliter assumptio S. Petri ad
Episcopatum honore debito celebratur . Ceterum , ut
ait Baronius ad an. 45. §. 11. ipsa prima Pontificia
Sedes Petri , Cathedra , inquam , lignea , dignum pla-
ne tantæ rei eximiumque monumentum , quam pluri-
mis semper miraculis illustrata , a majoribus asservata ,
in ejusdem Petri Basilica Vaticana recondita hactenus
custoditur , & certis diebus populo visenda exponi-
tur . Vide dissertationem De Romana Cathedra , quæ
inserta est notis ad Anastasium Bibliothecarium tom.
4. pag. 150.

DISPUTATIO IV.

De proximo Successore D. Petri , & Cleto
diverso ab Anacletō.

L IUS an Clemens proximus post Petrum Pontifex
fuerit , discrepat inter veteres auctores . Tertul-
lianus ideo Ecclesiam Romanam ab Apostolis origi-
nem trahere contendit , quod Clemens Romanorum
Episcopus a Petro ordinatus est . (1) Eodem modo ,
ut ait Hieronymus , Plerique Latinorum secundum

C 3

Pe-

(1) De Præscr. Hæretic. cap. 32. pag. 213.

Bencinus in Notis ad Anastasium Bibliothecarium
tom. 2. pag. 46. Ordinatum quidem asserit Tertullianus
a Petro Clementem , sed non successorem con-
stitutum : quo modo Antiochiae , ubi S. Ignatius etsi or-
dinatus dicatur a Chrysostomo , constans tamen est
opinio , Evodium Petro Antiochiae successisse , non
Ignatium.

Petrum Apostolum putant fuisse Clementem. (2) Id quod dicunt aut innuunt Scriptores alii tum Graci, tum Latini. (3) Hos secutus videtur Hieronymus ante annum 392. scribens alibi quidem Clementem successorem Apostoli Petri, alibi vero post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam. (4) Sed horum verborum sensum satis explicat idem Hieronymus in Libro De Viris illustribus, seu Scriptoribus Ecclesiasticis, quem edidit anno 392. cap. 15. ubi de Clemente sermonem instituit ex professo. Ibi enim rejecta opinione Latinorum aperte tradit, Linum fuisse secundum Romæ Episcopum, tertium Anacletum, quartum Clementem. (5) Ab Hieronymo non dissentit Epiphanius.

Op-

(2) His verbis S. Hieronymi in libro De Viris Illustribus cap. 17. tom. 2. pag. 539. notari S. Optatum, & S. Augustinum, existimat Christianus Lupus in Scholiis ad Tertullianum De præscr. Hæret. cap. 32. tom. 9. edit. Venetæ pag. 265.

Bollandus ad diem 26. Aprilis tom. 3. pag. 409. Quinam sint hi plerique Latinorum, nemine uspiam nominato, per aliquam conjecturam videatur posse assequi, si dicamus, fuisse antiquos Catalogos summorum Pontificum, quorum aliquem S. Hieronymus petuit a S. Damaso, qui respondit, se gesta Pontificum, quæ potuit reperire in Sedis suæ studio, ad eum dirigere. S. Damasi decessor fuit, S. Liberius, cuius tempore contextum veterem Indiculum Romanorum Pontificum, testis est Petavius lib. 5. Rationarii Temporum cap. 5. qui eum penes se habuit.

(3) Apud Cotelerium in annotat. ad Constitutiones Apostolicas lib. 7. caq. 46. pag. 387. num. 6.

(4) Adversus Jovinianum lib. 1. §. 12. tom. 2. pag. 257. In Isaiam lib. 14. extremo cap. 52. tom. 4. pag. 612.

(5) Ejus verba hæc sunt ex libro citato, tom. 2. pag. 839. Clemens, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses cap. IV. 3. scribens ait: Cum Clemente & ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina scriptu sunt in

Opinatur enim, Clementem, quem Petrus sibi successorem designaverat, modestiae caussa abiisse de jure suo, donec Linus & Cletus, qui Petri ipsius in Episcopali munere adjutores fuerant, alias post alium ad mortem usque summi Pontificis personam sustinerent. (6) Lin-

C 4

nus

in libro vitae, quartus post Petrum Romæ Episcopus: siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.

(6) *En verba ipsa S. Epiphani Hær. 27. §. 6. pag. 107.* Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter atque Episcopi fuerunt. Inde Linus, tum Cletus. Post hunc Clemens. Neque vero miretur aliquis, quod ante ipsum in Pontificiam dignitatem alii Apostolis successerint, cum Petri ac Pauli esset aequalis: iisdem enim ille temporibus vixit. Verum illis adhuc superstitionibus, impositis manibus Episcopus a Petro consecratus, eaque detrectata provincia, ab omni administratione vacaverit: (ita enim in quadam epistola scripsit: *Recedo, exeo, infest populus DEI*, nonnullis videlicet hoc modo consulens: nam in quibusdam commentariis ita scriptum reperimus) an potius secundum Apostolos ab Episcopo Cleto sit constitutus, liquido non constat. Quamquam vel hac quidem ratione poterant viventibus adhuc Apostolis, Petro scilicet ac Paulo, Episcopi alii subrogari, quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia in alias Urbes, regionesque profectionem susciperent, carere autem Episcopo Roma non posset. Si quidem Paulus in Hispaniam pervenit. Petrus vero Pontum ac Bithyniam sè penumero peragravit. Ac fieri sane potuit, ut primum Clemente constituto, cum is defugeret: (si ita tamen contigit, quod ego opinando potius, quam asseverando dixerim) postea Lino, Cletoque mortuis, qui XII. annorum spatio singillatum Episcopatum obtinuerunt, post Apostolorum Petri, Paulique necem, quæ in annum Neronis XII. incurrit, tum demum Pontificatum capessere sit coactus. Sed nescunque se se res habuerit,

Re-

nus igitur proximus Petri successor fuit ex D. Hieronymo, atque Epiphanio, quorum sententia nititur auctoritati-

Romanorum Pontificum ista successio est. Petrus & Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus.

Bellarminus De Rom. Pont. lib. 2. cap. 5. pag. 304. & 305... Primus a Petro Pontifex non Clemens, sed Linus fuit: Id ita esse colligimus primum ex Epiphanio Hær. 27. qui ex sententia veterum tradit, a Clemente Sedem recusatam, dum viverent Linus & Cletus. Deinde ex hac ipsa ambiguitate. Si enim absque ulla contentione successisset Petro Clemens, aut Linus, aut quicumque alius, nulla certe quæstio de primo successore Petri exstitisset, quemadmodum de primo successore Jacobi Hierosolymis, & Marci Alexandriæ nulla umquam fuit quæstio. Quia vero in Romana Ecclesia post Petri obitum sancta contentio ex humilitate nata est, & unus fuit, & alter esse debuit primus successor Petri, inde nonnulla obscuritas in hanc successionem inventa est. Atque ex his conciliari possunt Auctores, qui aut Clementem Lino, aut Linum Clementi anteponunt. Siquidem Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Optatus, Augustinus, Hieronymus, dum afferunt Petro Linum proxime successisse, verum afferunt, sed non negant id factum esse, quia Clemens Episcopatum illum recusaverat: porro Tertullianus, Hieronymus, Rufinus, & ceteri, qui Clementem a Petro successorem relictum esse, scribunt, rem veram narrant, sed nec ipsi negant, Clementem eo tempore Sedem accipere noluisse.

Neque multum me movet, quod Pontificalis Damasi, Sophronius, & Simon Metaphrastes in Vita Lini dicunt, Linum ante Petrum obiisse. Nam Sophronius, & Simon recentiores sunt, Pontificalis vero liber, qui Damaso tribuitur, dubiæ in hac re auctoritatis est. Auctores autem, qui Linum Petro successisse scribunt, eum antiquissimi, tum etiam plurimi & probatissimi sunt

Quoritate S. Irenæi, (7) Eusebii, (3) Theodoreti, (9)
S.

Sunt. Vide Baronium ad an. Ch. 69. §. 43. & annota-
2. ad Vitam Lini.

(7) Lib. 3. contra Hæreses cap. 3. §. 3. pag. 176.
Fundantes igitur, & instituentes beati Apostoli Eccle-
siam Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tra-
diderunt... Succedit autem ei Anacletus: post eum
tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Cle-
mens.... Huic autem Clementi succedit Evaristus,
& Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apo-
stolis constitutus est Sixtus, & ab hoc Telesphorus,
qui etiam gloriosissime martyrium fecit: ac deinceps
Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum au-
tem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco
Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherus. Vide Re-
natum Massuet in S. Irenæum lib. 1. cap. 27. pag.
105.

(8) Lib. 3. Hist. cap. 2. pag. 57. Post Pauli, Pe-
trique martyrium primus Ecclesiæ Romanæ Episcopa-
tum suscepit Linus. Et cap. 4. pag. 59. Linus primus
post Petrum, ut supra jam diximus, Ecclesiæ Roma-
næ Episcopatum adeptus est. Et cap. 13. pag. 70. Linus
Ecclesiæ Romanæ Episcopus, cum eam duodecim
annis administrasset, Anacleto deinde regendam tra-
didit. Et cap. 15. pag. 70. Anacletus exactis in Epi-
scopatu annis duodecim, successorem reliquit Cle-
mentem. Et cap. 21. pag. 73. Clemens Romanæ Ec-
clesiæ præsidebat, qui & ipse tertius a Paulo, ac
Petro inter Episcopos ejus urbis promotionis ordine
numeratur. Primus enim fuit Linus, secundus Ana-
cletus.

(9) In epist. 2. ad Timortheum cap. IV. 21. t. 3. pag.
506. Ferunt autem Linum magno Petro successisse, &
Romanorum Ecclesiæ post illum Sedein tenuisse.

Zoneras in Annalibus tom. I. pag. 430. Post Pe-
trum primus Pontifex Linus fuit.

S. Optati, (10) S. Augustini, (21) S. Prosperi, (12) Huc pertinet Romanæ Ecclesiæ Traditio, quam exhibet Martyrologium Romanum, ubi legitur primus post Petrum Apostolum Pontificatum tenuisse Linus, secundus Cletus, tertius Clemens, quartus Anacletus. (13)

Nun vero hic Anacletus idem sit, atque Cletus, apud antiquissimos Scriptores pugna invenitur. Qui enim Cletum memorant, de Anacleto silent, & qui Anacletum recensent, nullam de Cleto mentionem faciunt. Itaque res est obscura, & difficiles explicatus habet. Sed in his, quæ sunt Romanæ Ecclesiæ, major fides est adhibenda ejus alumnis, quam ceteris. (14) Non euodem igitur esse Cletum, atque Anacleto.

(10) Lib. 2. De Schismate Donatistarum §. 3. pag. 28. Ergo Cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sed sit prior Petrus, cui successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus.

(11) Epist. 53. alias 165. §. 2. Si ordo Episcoporum sibi succendentium considerandus est, quanto certius, & vere salubriter ab ipso Petro numeramus.... Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus, Evaristo Alexander.

(12) In Chronico integro pag. 705. Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus. Pag. 706. Romanæ Ecclesiæ secundus constituitur Episcopus Cletus. Pag. 707. Romæ tertius Ecclesiæ præfuit Clemens. Pag. 708. Romanæ Ecclesiæ quartus Episcopus præfuit Evaristus.

(13) Die 23. Septembris pag. 431. Romæ S. Lini Papæ & Martyris, qui proximus post B. Petrum Apostolum Romanam Ecclesiam gubernavit. Et 26. Aprilis Pag. 183. Romæ Natalis B. Cleti Papæ, qui secundus post Apostolum Petrum rexit Ecclesiam. Et 23. Novembris Pag. 528. Natalis S. Clementis Papæ, qui tertius post B. Petrum Apostolum Pontificatum tenuit.

(14) Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum die 26. Aprilis Pag. 184.

eleatum satis superque persuadere crediderim antiqua Romanæ Ecclesiæ Martyrologia, Kalendaria, aliaque publica ejus monumenta, quæ Cletum distinguunt ab Anacleto, ut est apud Bollandum die 26. Aprilis tom. 3 pag. 410. & apud Schelstratum in Antiquitate Ecclesiæ illustrata tom. 1. Dissertat. 2. cap. 2. §. 8. Hæc monumenta, atque adeo acceptum a Majoribus morem, & institutum sequens Romana Ecclesia, nomine, patre, patria, rebus gestis, mortis tempore alterum afferit esse diversum ab altero, diversoque anni die uniusque memoriam hactenus celebrat, Cleti quidem VI. Kal. Maji, Anacleti autem ad III. Idus Julii. (15)

Con-

(15) Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. extremo cap. 5. pag. 305. Ex eo, quod aliqui veterum Anacletum Clementi anteponunt, alii subjiciunt, colligit, duos fuisse, non unum. Anacletum vero etiam Cletum appellari solitum, id ait esse argumento, quod eundem omnino Pontificem, quem Irenæus, & Eusebius Anacletum vocant, Epiphanius, Hieronymus, Damasus, & Missæ Canon Cletum nominat. Subjicit, mirum non esse, propter nominis similitudinem a veteribus quibusdam ex duobus Anacletis unum esse factum, cum constet apud Græcos passim confundi Novatum cum Novatiano, cum tamen certissimum sit, Novatum Carthaginensem Presbyterum fuisse: & Eusebius, ac Nicephorus Constantinopolitanus in Chronicis ex Marcello & Marcellino unum fecerint, cum duos fuisse, certum, & exploratum sit.

Papebrochius in Conatu Chronico-Historico apud Bollandum tom. 8. Maii pag. 19. Ceterum distinctionem (Cleti ab Anacleto) tam hi Catalogi, quam alibi a nobis producta antiquissima Martyrologia tam certam videntur facere, ut dubio locus superesse ægre possit. Dubitat tamen, imo absolute negat distinguendos Natalis Alexander, Peritorum, ut ait, iudicio subnixus. In his Adrianus Valesius est, Eusebii illustrator, eoque in ejus omnes sententias justo procli-

Contra priam hujus disputationis partem afferri solet epistola Joannis III. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ cap. 2. apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 824. Si autem Petrus Princeps Apostolorum adjutores sibi adscivit Linum, & Cletum, non tamen potestatem Pontificii, aut ligandi, aut solvendi eis normam tradidit, sed successori suo sancto Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem, tradente sibi beato Petro, tenere promeruit, &c.

Primum dico, eam epistolam esse subdititiam, ut probat Baronius ad an. 572. §. 3. atque ex eo Natalis Alexander dissertat. 14. in Hist. Eccl. Sæc. I. Deinde addo illud etiam, quod supra dictum est ex S. Epiphanio, & confirmat Glossa in Cap. Si Petrus I. Caussa 8. quæst. 1. desumptum ex memorata Joannis III. epistola supposititia, in hæc verba: Patet quod Linus & Cletus non fuerunt Apostolici, & hoc est verum, quod post Petrum statim non fuerunt Apostolici, sed Clemens fuit post eum Apostolicus. Videns autem Clemens, quod hoc esset perniciosum exemplo, quod aliquis sibi eligeret successorem, renuntiavit Papatu: & tunc electus fuit Linus: eo mortuo electus est Cletus: quo mortuo denuo fuit Clemens electus: & sic Clemens secundum unam computationem fuit secundus, & secundum aliam fuit quartus: unde versus

Disputat hic mundus, quartus fueritne secundus.

Quæ afferuntur contra secundam partem, paucis confutat Bollandus. Quod enim in Epistola S. Ignatii ad

elivior: qui etiam ad cap. 13. lib. 3. observat, Græcis omnibus Ανεγλητον, Irenæo Anenclatum dici, qui passim Latinis aliis Anacletus est. Plura in eamdem sententiam habet noster Haloix, ubi de S. Irenæo: quem consulat, cui id operæ pretium erit. Huc spectat etiam disputatio Anamensis de Cleto & Anacleto apud eundem Papæbrochium pag. 215.

Cletus ex murilato Anacleti vocabulo factus videtur Valesio in cap. 13. lib. 3. Hist. Eccl. Eusebii Pamphili pag. 43.

ad Mariam Cassiobolitem dicitur *Clemens successisse Anacletum*, & in altera ad Trallianos legitur *Anacletus & Clemens ministerium exhibuisse S. Petro*, id torum affirmat epistolis illis fuisse insertum a posteris, adeoque desiderari in genuinis MSS. Græcis a Vossio editis. Addere licet, epistolam ad Mariam Cassiobolitem annumerari epistolis S. Ignatio suppositis, & epistolam ad Trallianos interpolatis. (16)

Quod vero spectat ad S. Irenæum, qui lib. 3. cap. 3. enumerans primos undecim Pontifices Romanos *Anacletum omisso Cleto recenset*, & alios omnes, qui Irenæum secuti sunt; item quod pertinet ad S. Epiphanius, qui *Cletum nominat omisso Anacletum*, dicit idem Bollandus cum Baronio, majorem fideim adhibendam esse alumniis Ecclesiæ Romanæ, quos supra produxit, quam externis, cum hi veriti fuerint, ne ob similitudinem nominum aberrarent.

Jam Lucii Dextri Chronicon, quod habet, *S. Anacletum vel Cletum successisse Lino*, afferit, plane suppositum esse, atque ex fragmentis consartum, & potuisse auctorem ambigere, quis prius sederit ante Clementem, & quis huic successerit.

Denique Martyrologium a Rosweido una cum Adone editum titulo Martyrologii Veteris Romani, in quo *Anacletus* tantum memoratur, docet pro *Vetere Romano* non admitti a viris eruditis, nec videri Bedæ & Usuardi ætate innotuisse, cum hi *Cletum* Martyrologiis inscripserint. (17)

DISPU-

(16) Vide Cotelerii Patres Apostolicos tom. 2. p. 99. & 603.

(17) *S. Cyprianus epist. 74. pag. 293. ait*, Hyginum Episcopum in Urbe nonum fuisse: *omisso vide-licet Petro*. Sic Irenæus lib. 1. cap. 27. pag. 105. *di- cit eundem Hyginum ἔργαντος απὸ τῶν Αποστόλων*: nonum ab Apostolis. Sic Epiphanius Hær. 41. §. 1. pag. 300., & Hær. 42. §. 1. pag. 302. scribit, eundem Hyginum a Petro Pauloque Apostolis nonum Ecclæ

ecclæ præfuisse. Quo ordine numerum Pontificum Romanorum invenientes iis favent, qui Cletum diversum faciunt ab Anacleto. Sed vide quæ in citatum S. Irenæi locum annotavit Massuetus, & Cotelerius in Constitutiones Apostolicas lib. 7. cap. 46. pag. 386.

DISPUTATIO V.

De S. Victore I. minitante anathema Asiam, more Judeorum Pascha celebrantibus.

Altro Christi seculo, Victore I. Romanum Pontificum administrante, gravis controversia exorta est, eo quod omnes per Asiam Ecclesiae, vetusta quadam traditione nixa, quartadecima Luna salutaris Paschæ festum diem celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Iudeis, ut agnum immolarent: eaque omnino Luna, in quemicunque demum diem Septimanæ incidisset, finem jejuniis imponendum esse statuebant: cum tamen reliquæ totius Orbis Ecclesiae alio more uterentur, qui ex Apostolorum traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio, quam Resurrectionis Dominice die jejunia solvi liceat. Synodi ob id cœtusque Episcoporum convenere: atque omnes uno consensu ἐκκλησιασμὸν δόμῳ Ecclesiasticam regulam universis Fidelibus per Epistolas tradidere, ne videlicet ullo alio, quam Dominico die mysterium Resurrectionis Domini umquam celebretur: utque eo dumtaxat die Paschalium jejuniorum terminum obser. venus. (1) Pontifices, qui ante Soterem Ecclesiam gubernarunt, Anicetum dico, & Pium, & Hyginum cum Telephoro & Sixto, neque ipsi umquam Asianorum institutum observarunt: neque his, qui cum ipsis erant, ut id observarent, permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex Ecclesiis, in quibus id observabatur: atque Ecclesiarum Presbyteris, qui id observa-

(1) Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 23. pag. 154.
Vide annotar. 2. ad S. Anicetum.

servabant, Eucharistiam transmiserunt. Et cum beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romanam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexe sunt: de hoc capite non magnopere inter se contendentes. (2) Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere tamquam poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum monrem perpetuo observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere conatus est, ut observaret, cum Anicetus eorum, qui ante se fuerant Presbyterorum monrem sibi retinendum esse diceret. Quæ cum ita se haberent, communicarunt sibi invicem. Et Anicetus in Ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessit: tandemque cum pace a se invicem discesserunt: ram iis, qui observabant, quam illis, qui minime observabant, pacem communionemque totius Ecclesiae retinenterib[us]. (3)

Parva porro controversia, quæ de legitimo celebrandi Paschæ die inter Anicetum Episcopum Romanum, & Polycarpum Antistitem Smirnæorum existit, magna postmodum contentione inter Victorem I. summum Pontificem, & Episcopos Asiæ, quibus præterat Polycrates Episcopus Ephesiu[m], disceptata est. Cum enim Victor anno Christi circiter 198. habito

(2) Ex quibus apparet, Romanos Pontifices ad ista usque tempora Asianorum consuetudinem non improbase, & primum omnium fuisse Victorem Papam, qui se Asianis opposuerit, & Paschatis diem juxta monrem Ecclesiae Romanæ observandum præscripsit, ac communionem ipsam denegandam Asianis minatus sit: Schelstratus in Antiquitate illustrata circa Concilia disserat. 1. cap. 3. §. 30. apud Rocabertum tom. XI. Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ pag. 43.

(3) S. Irenæus in epistola ad Victorem, quam scripsit nomine fratrum, quibus præterat in Gallia, apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccl. extremo cap. 24. pag. 156. & 157.

bito Romæ Concilio decrevisset, Pascha non quartadecima Luna primi mensis, seu Martii, sed potius die Dominico post XIV. Lunam & vernale Aequinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum esse: (4) & Victoris decretum recepissent alia alibi congregata Concilia, Cæsariense in Palæstina, (5) Lugdunense in Gallia, Ponticum, Osroenum, Corinthiacum: (6) nihilominus Polycrates reprobatam ab ceteris Ecclesiis consuetudinem Paschæ celebrandi Luna XIV. in quaecumque hebdomadæ diem incideret, congregato ex Episcopis Asiae conventu mordicus retinuit, & missa ad Victorem Pontificem epistola Synodica traditionem ad sua usque tempora propagaram exposuit. (7) Post hæc Victor Urbis Romanorum Episcopus illico Asiae totius cum vicinis Ecclesiis provincias absindere, tamquam heterodoxas, a communi unitate conatur, & coarguit per epistolæ non participes omnino omnes illic existentes significans fratres. (8) Quæ Eusebii

(4) Apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 596.

(5) Acta hujus Concilii reperias apud Bedam Oper. tom. 2. in Lib. De Paschæ celebratione, sive de Aequinoctio vernali pag. 232. ex Beda apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 596., & ex antiquis libris apud Baluzium in Nova Collectione Conciliorum pag. 13.

(6) De quibus Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 23. neque ex Eusebio Labbeus tom. 1. Conc. pag. 596. & 598. & Libellus Synodicus cap. 11. & quatuor sequentibus apud Fabricium tom. XI. Bibl. Græca pag. 189. & apud Harduinum tom. 5. Conc. pag. 1494.

(7) Concilium istud a Victore reprobatum est, ut narrat Eusebius lib. 5. cap. 24. Fragmentum Synodice epistolæ Polycratis exstat tum apud Eusebium, tum apud S. Hieronymum De Viris illustribus cap. 45. pag. 871. tom. 2.

(8) Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 24., cuius locum ad verbum de Græcis curavi exprimere fidus interpres. Græca sunt: Ε'πὶ τέτης ὁ μὲν τῆς ἡμ-

sebii verba, quia haud clara omnino & aperta sunt, ideo ambigitur, utrum Victor Asianos re ipsa anathemate innodarit, an vero id conatus solum atque interminatus fuerit. Magis placet eorum sententia, qui existimant Pontificem non processisse ultra minas. Etenim Eusebius dicit: Α' ποτέμνειν τῆς κοινῆς ἐνώσεως περάτας: abscindere a communi unitate conatur. Præterea

μαίων πρωεστῶς Βίκτωρ, αὐτόρως τῆς Α' σιας πά-
της ὅμηρος τῇσι διμόρφοις ἐκκλησίαις τὰς παροικὰς
α' ποτέμνειν ὡς ἑτεροδοξίας, τῆς κοινῆς ἐνώσεως
περάταν. καὶ σηλιτόσειγε διὰ γεωμετρίαν, α'-
κοινωνήτες αρδειν πάντας τὰς ἐκεῖσε ανακηρυττουν
ἀδελφάς.

Joannes Christophorussonus interpretatur hoc modo: His rebus adductus Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præterat, totius Asiae Ecclesiæ cum aliis finitiimis tamquam alterius fidei & opinionis simul omnes (ut complectar brevi) a communi unitate Ecclesiæ amputare conatur, & in eos per litteras graviter invehitur: atque adeo omnes fratres eam incolentes regionem prorsus a communione secludendos edicit.

Itaque Christophorussonus Græci textus vim magis assecutus videtur, quam Valesius, qui verba illa: καὶ σηλιτόσειγε, &c. ita vertit: Datisque litteris universos, qui illic erant, fratres proscripti, & ab unitate Ecclesiæ alienos esse pronunciat. Etenim verbū σηλιτόσειγε non significat proscribere, sed notare, invehi. Hinc S. Gregorii Nazianzeni Orationes adversus Julianum Imperatorem inscribuntur σηλιτότινοι, invectivæ. Neque vox αἰκανωνήτες significat alienos, sed potius secludendos, seu quod ipsos Victor ab Ecclesiæ unitate secludere cogitaret, seu quod ipse se ab ea secluderent, ejusque societatem respuerent, schismæ excitantes. Nomen enim αἰκανωνήτες in partem utramque accipi potest.

terea Irenæi & aliorum Episcoporum, quibus id displicebat, epistolæ ad Victorem satis ostendunt, anathema adversus Asianos adhuc in suspenso fuisse, & sine effectu. Eusebius signidem ita scribit de litteris Irenæi ad Victorem: *Victorem decenter admonet, ne integras Dei Ecclesiæ morem sibi a majoribus traditum custodientes a communione abscindat.* (9) Nondum ergo absciderat, sed ictus adhuc librabatur. Nec ultra progressum Victorem exprimit Eusebius, quin Irenæo mox gratulatur, ut *sui nominis augurium non fallenti*, ut pacificatori, εἰ πλωτοῖς, ut pacis Ecclesiarum legato. (10) Nempe ejus hortatu Victor initum de anathematizandis Asianis consilium abjecit. Sane Eusebii orationi hanc subjectam esse sententiam, docet Nicephorus Callistus, qui cum fere compilavit, & S. Hieronymus. Ille quidem dicit Victorem *sumpsisse consilium removendi Asianos ab Ecclesiæ communione*. hic autem *damnandos credidisse*: neuter re vera dannasse. (11) Quid quod Firmilianus in epistola ad

S. Cy-

(9) *Eusebius lib. 5. cap. 24. pag. 156.*

Phutius in Bibliotheca cod. 120. pag. 302. : Victor ea tempestate Romæ Pontificium tenuit: quem crebris litteris hortatus est Irenæus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret.

(10) *Ludovicus Thomassinus Dissertationum in Concilia tom. 1. dissertat. 1. §. 18. pag. 13.*

(11) *Nicephorus lib. 4. Hist. Eccl. cap. 38. pag. 339. tom. 1.* : Victor vero litteris ejusmodi acceptis, exemplo Asiæ, eque finitimas Ecclesiæ, veluti alienum atque diversum dogma propugnantes rejicere, & ab unitate Catholica arcere in animo habebat. Quam ob causam & subito litteras conscripsit, quibus illos publice notabat, omnesque simul a communione prohibebat. Atque ille quidem ejusmodi suscepserat consilium. Verum id aliis, qui cum eo erant, Episcopis minus placuit. Itaque illum sunt adhortati, ut benignius

S. Cyprianum Romanos carpit his verbis? Eos autem, qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sint ab origine tradita, & frusta Apostolorum auctoritatem pretendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacraenta videat esse apud illas aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & hominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est.

(12) At ab Ecclesiæ pace atque unitate aliquando discessum esset, si Victor Asianos Episcopos, qui Hebreworium more Festum Paschæ agebant Luna XIV. Martii, anathemate damnasset. Non igitur damnavit, sed terrorem anathematis ac minas duntaxat illis opposuit.

Qui aliter sentiunt, testimoniiis utuntur S. Epiphanius, Socratis, Nicolai I. Pontificis, & Libelli Synodici.

S. Epiphanius Hær. 70. §. 9. pag. 821. Polycratis,

D 2

(13)

gnius per consilia pacata de eis, qui idein fidei prædicarent dogma, statueret.

S. Hieronymus de Viris illustribus cap. 35. pag. 862: tom. 2., ubi de S. Ireneo: Feruntur ejus & aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quaestione Paschæ Epistolæ: in quibus commonet eum non facile debere unitatem collegii scindere. Siquidem Victor multos Asiae & Orientis Episcopos, qui decima quarta Luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia hi, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.

Idem extremo cap. 45. hæc ex Polycratis epistola ad Victorem verba refert: Non formidabo eos, qui nobis minantur; seu ut est apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccl. cap. 24. pag. 156.: nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur.

(12) Epist. 75. inter epistolas S. Cypriani pag. 303.

(13) Et Victoris ætate cum Orientales ab Occidentalibus divulgæ pacificas a se invicem litteras nullas acciperent. Sed quis non videret, significare Epiphanium, Orientales ab Occidentalibus non fuisse separatos communione, sed discrepasse inter se opinione tantum & consuetudine contraria, ob diversam celebrandi Paschæ rationem? unde factum, ut pristina inter eos caritas frigesceret, & usus litterarum pacificarum paulatim desineret. (14) Nimirum turbata aliquatenus inter Orientales & Occidentales pax est, sublata vero penitus Victoris ætate non est. Quocirca Sozomenus lib. 7. Hist. Eccl. cap. 19. narrat, totam controversiam compositam fuisse ex communii Orientalium & Occidentium consensu. (15)

Ad

(13) In Græco texiu legiur Πολυκάρπες, errore manifesto, cum duodeviginti & amplius annis ante Victoris Pontificatum Polycarpus martyrium obiisset, ut colligitur ex Eusebio lib. 4. cap. 15.: Natalis Alexander dissertat. 5. in Hist. Eccl. sac. II. art. 5. in margine pag. 375. tom. 3.

(14) Quid essent litteræ pacificæ, exponitur annuat. 1. ad S. Sextum I.

(15) Sozomenus lib. 7. Hist. Eccl. cap. 19. pag. 595.: Σοφωτατα δέ πιστοί οἵμαι καταλύσας τὴν συμβοσταν παλαι περὶ ταῦτης φιλονεκίαν τὰς αἱμφί βίκτωρες τὸν τότε τῆς ἡώμης ἐπίσκοπον, καὶ Πολύκαρπον τὸν σμυρναῖον ἐπει γὰρ οἱ πρὸς δύσιν ιερεῖς, ψκ ώντο δεῖν Παύλῳ καὶ Πέτρῳ τὴν παραδοσιν ατιμάζειν · οἱ δὲ ἐκ τῆς αἰσιας Ι'ωάννη τῷ Αγγελιῃ ακολυθῶνιοι χυρίζοντο. Τύπο κοινῇ δόξαν, ἔκαστοι ὡς εἰώθεσαν ἐργαζοντες τῆς πρὸς σφᾶς κοινωνίας ψκ ἐχωρισθησαν. Εἴηθες γὰρ, καὶ μάλιστι, ὑπελαθεν, ἐθῶν ἐνεκεν αἰτήλων χωρίζεσσι, περὶ τὰ καιρια τῆς Θρησκείας συμφωνήσασι. Sapientissime autem puto dissoluisse contingentem olim de hoc (Paschæ festo) controversiam Victorem Romæ Epi-

Ad Socratem quod attinet, is lib. 5. Hist. Eccl. cap. 22. de hac controversia sermonem instituens, scribit in hunc modum: Quod vero jam inde a priscis temporibus ex usu potius, quam ex lege observatio ista profluxerit, res ipsæ declarant. Etenim in Asia minore plurimi antiquitus quartum decimum diem observarunt, neglecto Sabbathi die. Quod dum facerent, numquam tamen ab illis, qui alio modo Pascha celebrabant, sese ab junxerunt: donec Victor Romanæ Urbis Episcopus immodeo iracundiae succensus æstu Quartadecimanis, qui in Asia erant, excommunicationis libellum misit. Miror profecto, adversarios non intelligere, postrema verba hæc non esse Historici simpliciter narrantis vera, sed obloquentis atque evomentis virus acerbatis suæ. Socrates quippe homo Novatianus, ac Novatianorum fautor, quorum plerique Pa-

D 3

scha

Episcopum, & Polycarpum Smyrnæum. Etenim qui ad Occidentem Sacerdotes, non putabant oportere Petri & Pauli traditionem antiquare: qui autem ex Asia, Joanneum Evangelistam sequi confirmabant. Hoc communiter placuit, ut singuli, sicut consueverant, festum celebrantes a mutua communione non separarentur. Stultum enim, nec immerito existinabant, consuetudinum causa ab se invicem separari, in præcipuis religionis capitibus consentientes.

Dissimulandum non est, *inquit Petrus de Marca* lib. 3. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 9. §. 4., cui suffragatur Pagius ad an. 196. §. 2., errorem irrepsisse in textum Sozomeni in Polycratis nomine; cum lectio integra remanserit in nomine Victoris. Legendum est Polycratem, qui error est proclivis. Vox enim Πολύκρατος littera ρ post α posita, atque τ in π ob similitudinem facile mutata, poruit nullo fere negotio converti. Id quod videtur probabilius, quam quod si ne ulla probatione affirmat Basnagius ad an. Dom. 190. extremo §. 11. certo certius esse, memoria lapsu nomine Victoris loco Aniceti a Sozomeno fuisse positum. Nec vox Smyrnæum aliquid adjumenti afferre potest op-

scha celebrabant Luna XIV. vel sequente Dominico die, (16) id scripsit, ut Victori invidiam confaret. Porro Socratem fuisse Novatianum, colligitur cum ex cap. 19. lib. 6. ubi narrat, S. Joannem Chrysostomum merito fuisse depositum, eo quod multas Novatianorum, & Quartadecimanorum Ecclesias invasisset; tum multo etiam clarius ex cap. 21. in quo Chrysostomi vocem illam: *Licet millies pænitentiam egeris, accede: redarguens, se procul dubio eadem cum Sisinnio tuni Novatianorum Episcopo, qui eo arguento adversus eundem Joannem Chrysostomum librum conscripsit, sensisse absque ulla ambiguitate declarat.* (17)

Jure

opinioni contrariæ, ut observat Baluzius ad locum citatum Petri de Marca. Certum enim est ex Eusebio lib. 5. cap. 24. & Hieronymo in lib. De Viris illustribus, istic agit de Polycrate Episcopo Asiae, quem Ephesinum propterea vocant Hieronymus, & Nicephorus Callistus lib. 4. cap. 37. Eusebius describet. Polycrateum autem vixisse sub Pontificatu Victoris ambigi non potest. Quare necesse est e libris Sozomeni tollere in hoc loco nomen Polycarpi Smyrnæi, quod per oscitantiam, ut sœpe contingit, Sozomeni, aut illius, qui Sozomeni historiam exscripsit, irrepsit pro nomine Polycratis. Ei enim, qui commutasset hæc nomina, facile ac proclive fuit addere mentionem Episcopatus Smynensis post nomen Polycarpi viri celeberrimi. Maneat ergo fixum constansque, certam esse emendationem illustrissimi Archiepiscopi.

(16) Socrates lib. 5. cap. 21. Sozomenus lib. 7. cap. 18. pag. 594.: Quartadecimani quidem quartadecima die simul cum Judæis festivitatem celebrant, unde etiam hanc appellationem sortiti sunt. Novatiani vera resurrectionis diem celebrant. Judæos tamen ipsi quoque sequuntur, & in idem recidunt cum Quartadecimanis. Vide Baronium ad an. 57. §. 198. ad an. 370. §. 124. ad an. 389. §. 52. ad an. 392. §. 19. & Quesnellum dissertat. in S. Leonem 6., quæ est De jejunio Sabbathi in Ecclesia Romana §. 9. & seqq.

(17) Baronius ad an. 56. §. 27.

Idem

Jure igitur ac merito Photius in Bibliotheca cod. 28. pag. 18. Stilus illi non admodum sp̄endidus, sed nec in dogmatibus valde accuratus est. Quis igitur Socratem ducem sequatur in iis, quæ pertinent ad Novatianos?

Neque vero nobis officiunt verba illa Nicolai L. Deinde cum Asiani omnes inter ceteros, Evangelista Joanne auctore, quarta decima Luna cum Judeis putarent Pascha celebrandum; hos præful meritis & nomine Victor a communione collegii separavit. (18)

Prium enim videtur Nicolaus idecirco scripsisse ab Victore separatos Asianos a communione collegii, quia per aliquod tempus litteras pacificas ad illos non misit, non quia illos anathematizaverit. Deinde auctoritas Nicolai, qui Socratis, opinor, narratione deceptus est, hac quidem in re tanti fieri debet, quanti dignitatis haud tantæ scriptoris testimonium. Neque enim quæcumque scribunt aut dicunt Romani Pontifices, continuo oracula sunt Apostolicæ Sedis.

Libellus Synodicus cap. 8. apud Harduinum tom. 5. Conc. p. 1494. & apud Labbeum tom. 1. Conc. p. 600. hæc habet de Synodo Ephesina Polycratis: *Victor autem Romanorum Ecclesiæ sanctissimus Papa excommuni- cationem mittit Polycratii, qui huic præfuerat Synodo.*

D 4

Sed,

Idem Præfat. in Annales Ecclesiasticos ad Lectorem. Claudiat æque veritas in Socrate sectæ Novatianorum addicto, & Sozomeno eadem timeto fuligine.

Nicephorus Callistus lib. Hist. Eccl. cap. I. pag. 35.: Cognomine quidem, sed animo minus ~~καθαρός~~, id est *purus Socrates*. Et lib. 6. cap. 37. pag. 436. Socrates qui & ipse ex Novatianis res Ecclesiasticas scripsit. Et lib. 9. cap. 13. pag. 700. tom. I.: An vero ille (*Eusebius*) certo in pietatis sinceritate sit, sicut iste, (*Socrates*) qui quidem Novatianus est, dicit id accurate certoque occulta omnia perspicienti Deo relinquendum.

(18) Epist. 9. ad Michaelem Græcorum Imperato-rem apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 541.

Sed, præterquamquod potuit Socrates auctori Libelli Synodici imponere, (19) incertus ac recens est ejus Libelli scriptor. Namque, ut observat memoratus Harduin pag. 1492., in MS. Regio 2951. fol. 219.
 ejus auctor dicitur Κύριλλος ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων,
 & Germano Constantinopolitano tribuitur apud le Moyne tom. I. pag. 68. Allatius item lib. I. De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione cap. 13. §. 21. dubium esse Synodici auctorem significat, & cap. 27. §. 1. asserit, confictum temporibus Photii. Consentit Tillemontius, qui agens de S. Irenæo art. 4. pag. 83. tom. 3. dicit Libellum illum collectum fuisse saeculo ad summum nono. Non debet igitur incerti & recentis Scriptoris Libellus auctoritate scriptores probatos vincere.

Denique Blastus (nam etiam hoc opponunt adversarii) non ea solum de caussa anathemate confixus est, quod propugnaret Pascha celebrandum esse Luna XIV., sed præsertim quod eos, qui illud celebrarent Dominico die proxime sequente Lunam XIV. aversaretur tamquam alienos ab Fide Catholica, ac latenter Judaismum vult introducere, (20) & quam plurimos ab Ecclesiæ gremio abstraxisset, (21) atque postea in errorem Valentini abreptus fuisset. (22) At vero Asiatici

(19) Ludovicus Thomassinus Dissertat. I. in Synodos de die Paschæ §. 18. tom. I. Dissertationum in Concilia pag. 13.

(20) Auctor additamenti ad Librum Tertulliani De Præsc. Hæretic. cap. 53. pag. 223. : Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non alter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi XIV. mensis.

(21) Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 15. pag. 145.

(22) Idem Eusebius cap. 20. pag. 152.

Theodoreetus lib. I. Hæretic. Fabul. cap. 23. pag. 209. tom. 4. : Sed & Florinus & Blastus præsbyterorum in albo

fatici nihil hujusmodi moliti sunt. Consuetudinis quidem, quam habebant pro Traditione Apostolica, fuerunt retinentissimi, numquam tamen eo pervicacitatem venere, ut assererent non licere Pascha celebrari, nisi Luna XIV. more Judæorum: Fidem insuper Catholiceam servarunt integrum, atque ex illis plures claruerunt fama sanctitatis. (23)

albo Romæ conscripti in Valentini peste in declinarunt. Vide memoratum auctorem additamenti ad Tertullianum de præsc. Hæretic. cap. 49. 51. & annotat. 2. ad S. Hyginum, & vitam Victoris 1.

(23) Controversia de die legitimo celebrandi Pascha ad Ecclesiæ disciplinam, non ad Fidem pertinet: ideo licuit salva fide disceptari. Utraque pars sententiam suam defendebat traditione Apostolica: at nemo ignorat, esse Traditiones Apostolicas tum ad Fidem, tum ad disciplinam pertinentes; illas esse easdem semper, & ubique, has diversas esse pro temporum ac locorum diversitate. Quare Apostolica Traditio de cœlebratione Paschæ alia in Oriente, alia in Occidente esse potuit, licuitque Orientalibus servare morem suum, donec Ecclesiæ Romanæ auctoritate abrogaretur. Vide annotat. 2. ad S. Anicetum.

Tertullianus De Virginibus velandis cap. 1. pag. 173.: Regula quidem Fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis..... Hac lege Fidei manente, cetera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque ad finem gratia Dei.

DISPUTATIO VI.

De primo Imperatore Christiano.

Philippus ne, an Constantinus Magnus primus omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuerit, haud satis convenit. Qui hanc laudem tribuunt Constantino, clarioribus testimoniiis uti videntur. Nam Laetantius, qui claruit anno Christi 303. quinquaginta-

ta circiter annis post mortem Philippi, ita compellat Constantiū initio libri primi De falsa religione: *Quod opus nominis tui auspicio inchoamus, Constantine Imperator Maxime. Qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majestatem DEI singularis ac veri & cognovisti & honorasti.* Narrat idem & Ambrosius in Oratione De obitu Theodosii, ubi hæc de eodem Constantino verba loquitur: *Quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem Fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* (1) Eodein modo Sulpicius Severus, qui anno quadringentesimo duos Historiæ Sacrae libros publicavit, lib. 2. cap. 33. *Tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Christianorum Principum Christianus fuit.* Cum Latinis facit etiam Græcus Theodoreus lib. 5. Hist. Eccl. extremo cap. 39. *Anze Constantini Maximi principatum, quotquot Romani Imperatores fuerunt, adversus pietatis cultores furere non desisterunt.* (2)

Eo-

(1) Operum tom. 2. pag. 1209.

(2) Auctōr supparis ævi Monachus in Vita S. Pachomii cap. 1. apud Bollandum die 14. Maii pag. 396. tom. 3. Cum finem accepisset persecutio, regnavit Constantinus Magnus Imperatorum Romanorum primus Christianus.

Epiphanius Diaconus Act. 6. Concilii Nicæni II. anno Christi 787. celebrati apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 406. A temporibus istis (nempe prædicatione Apostolorum) usque ad Constantinum Imperatorem, qui primus ex Christianis regnavit, transferunt anni quasi trecenti, cum prius tyrrannidem pagani exercearent.

Constantinus Porphyrogenitus, qui anno Ch. 911. in Oriente Imperium occēpit, in lib. De administrando Imperio cap. 10. pag. 53. edit. Venetæ: Quando Deus Constantinum illum Magnum Imperatorem effecit, qui primus Christianorum imperium tenuit. Ex his, inquit Pagius ad an. 244. §. 5. satis quilibet percipere potest, jamdiu Eusebii errorem animadver-

Forum, qui referunt, primum ex Imperatoribus Christianum fuisse Philippum, agmen dicit Eusebius lib. 6. cap. 34. *Hunc (Philippum) habet fama Christianum existentem in postrema Paschæ vigilia precationum in Ecclesia (Antiochenæ) participem simul cum reliquo populo fieri voluisse:* (3) Sed Episcopum (S. Babylam) qui tunc Ecclesiae (Antiochenæ) prærat, non prius illi aditum permisisse, quam confessionem scelerum fecisset, iisque, qui humanitus lapsi fuerant, & in pœnitentium ordine stabant, se se adjunxisset. Eusebius, ut nemo non videt, solam famam laudat, tam ficti tenacem, quam veri nuntiam: neque satis apparet, utrum ambigat de Philippi in Christum fide, an de ejus pœnitentia, ponens pro certo, eum Christianorum sacris initiatum. De illa potius, quam de hac Eusebius dubitasse videtur, secutus Dionysium Alexandrinum, quem, lib. 7. cap. 10. refert, hæc dixisse de Valeriano Imperatore: *Neque ullus superiorum Principum, ne illi quidem ipsi, qui palam (4) Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolen-*

versum fuisse, & Constantiū Magnum primum Imperatorem Christianum agnītum.

(3) *Rufinus in sua interpretatione Eusebii lib. 6. cap. 25. pag. 149. ait, Philippum venisse ad Ecclesiam in die Paschatis, id est ipsis vigiliis, ut intercesset, & communicaret mysteriis, quod dici non potest nisi de eo, qui baptizatus fuerit.* Sed Græcus Eusebii contextus Rufini interpretationem evertit. Est enim hujusmodi, *Philippum τῷ ἐπὶ οἰκλησίας δρόμῳ τῷ πλήθει μετασχεῖν ἐθελῆσαι: precationum in Ecclesia cum multitudine participem esse voluisse.*

(4) *Dionysius Alexandrinus loquitur de Philippo Imperatore: Igitur si Philippus fuit Christianus, fuit aperre & coram omnibus, non clam & occulte, ut contendit Huetius lib. 1 Originianorum cap. 3. §. 12. & Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sæc. III. cap. ult. §. 10. tom. 3. pag. 617.*

tentia Christianos complexus est, quantum ille (Valesianus) præferebat initi Principatus sui. Nimisrum Dionysius de Imperatoribus illis hoc tantum dicit, quod dicti & existimati fuerint Christiani, non autem quod se ipsa Christiani extiterint. (5) Præterea si Eusebius Philippi fidem in Christum exploratam habuisset, non scripsisset in Vita Constantini lib. 4. cap. 62., eum solum ex omnibus, qui umquam fuerunt, Imperatoribus in Christi martyriis (6) renatum & consummatum esse. Etenim si Philippus existens Christianus confessionem peccatorum instituit, & in pœnitentium ordine stetit, non solus, neque ideo primus fuit Constantinus, qui sacro renatus est fonte baptismatis. (7)

Chry-

(5) Valesius in annotat. ad hunc locum pag. 130. ubi etiam docet, ab Dionysio indicari Philippum Imperatorem. Sed cum Dionysius in plurali numero loquatur, Philippo adjungi posse Alexandrum Severum, qui imaginem Christi habuit in larario suo, teste Lampridio, & toto principatus sui tempore Christianos fuit, & conservavit, ut ab Eusebio relatum est supra. Vide Historiam nostram Familiae Sacrae, De Christo Domino cap. 21.

(6) Id est Ecclesiis. Vvalafridus Strabo De rebus Ecclesiasticis cap. 6. tom. 15. Bibl. Patr. pag. 184. Martyria vocantur Ecclesiæ, quæ in honore aliquorum Martyrum siebant: quorum sepulchris & Ecclesiis honor congruus exhibendus in Canonibus decernitur.

(7) Abulpharajus in Historia Dynastiarum pag. 80. Philippus Cæsar. Annos septem imperavit. Bene Christianis fecit, & ad credentium consortium admitti desideravit: dixit autem ipsi Episcopus, Non licet tibi Ecclesiam ingredi, donec a vitiis abstineris, & una uxore ex iis, quæ tibi propinquitate conjunctæ non sunt, contentus fueris. Solebat autem tempore precium accedens extra Ecclesiam stare cum illis, qui religioni initabantur, nec adhuc de ea loquerentur. Hic videtur credidisse, Philippum fuisse Cate-

chu-

Chrysostomus quoque lib. in S. Babylam contra Jianum & Gentiles §. 5. & 6. indicat, Philippum fuisse Imperatorem illum, quem Babylas aditu Ecclesiam prohibuit. Quod enim ibidem narrat, Imperatorem, cuius nomen filet, Regis cuiusdam parvum filium ob-

*Catechumenum duntaxat, ac nondum baptizatum. Et vero Catechumeni vocabantur etiam nomina Christianorum, ut est in extremo can. 7. Concilii Constantinopolitani I. apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 952. Et confessio-
nem peccatorum instituebant, ut docet Tertullianus De baptismo cap. 20. Et Cyrus Hierosolymitanus Ca-
tech. 1. ad baptizandos §. 5. Et penitentiae addiceban-
tur, ut legitur in can. 13. Concilii Nicæni I. apud eundem Lab. tom. 2. pag. 48.*

Verba Concilii Constantinopolitani sunt: Primo quidem die ipsos Christianos facimus, secundo Catechumenos, deinde tertio die exorcizamus sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum & aures insufflando. Et sic eos catechizamus sive initiamus, & curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesia, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus. Eodem modo est in Can. 95. Concilii Quinisepti apud Labbeum tom. 5. pag. 1181.

Verba Tertulliani Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniiis, & geniculationibus, & peregrinationibus orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptismum Joannis.

S. Cyrilli Hierosolymitani: Tempus praesens est tempus confessionis. Confitere quæ perpetrasti sive verbo, sive opere, sive nocte, sive die.

Concilii Nicæni: Placuit hoc sancto & magno Concilio de Catechumenis, qui lapsi sunt, ut tribus annis Audientes verbum sint tantummodo, post haec vero orent cum Catechumenis.

Audientes autem dicti sunt Pœnitentes publici secun-
dae classis, quod audit a oratione, quæ ante sacram Liturgiam fieri solebat, simul cum Catechumenis ejicerentur.

obsidem violato jure divino humanoque occidisse, eamque ob caussam Templo exclusum à S. Babyla; id videtur convenire in Philippum, qui, ut Imperium occuparet, Gordianum viginti circiter annos natum interfecit. Verum id, quod scribit S. Chrysostomus, neque de Philippo, quantum scio, neque de Imperatore alio traditur, & ejus libri argumentum est *historia Martyrii S. Babylæ Episcopi Antiocheni declamatorio mortis narrata, tropis redundans, in qua plerumque veritatem desideres.* (8)

Primum quidem omnium ex Romanis Imperatoribus Christianum fuisse Philippum aperte dicit memoratus Eusebius in Chronico juxta interpretationem D. Hieronymi. (9) Sed Hieronymus versionem suam additamentis maxime in Romana historia hinc inde interpolavit. (10. Itaque sic scripsit existimans ex Origenis epi-

(8) Bernardus de Montfaucon *Admonitione ad duos S. Chrysostomi sermones in S. Babylam Episcopum Antiochenum & martyrem*, tom. 2. Operum S. Chrysostomi pag. 530. ubi addit, Quod de Pœnitentia, deque Christianismo Philippi ab Eusebio narratur, non quasi certum, sed ceu a quibusdam auditum narrari.

Huetius, qui Philippum facit Christianum, dicit Eusebium ex incerta auditione loqui duntaxat de Philippi pœnitentia.

(9) *Ad an. Domini 247. tom. 8. Operum S. Hieronymi* pag. 745.

(10) Gulielmus Cave in *Historia Litteraria in Eusebio* pag. 113.

Ioannes Albertus Fabricius in *Biblioteca Graeca* lib. 5. part. 2. pag. 34. & in *Bibliographia Antiquaria* cap. 7. pag. 167.: Latine vertit, & Vincentio cuidam ac Gallieno inscripsit Hieronymus, ita ut hinc inde ex Latinis præcipue Scriptoribus quædam adderet.

S. Hieronymus *Praefatione in Chron. Eusebii* pag. 7. & 8. tom. 8. Sciendum est, me & interpretis, & scriptoris ex parte officio usum, quia & Graeca fidelissime expressi, & nonnulla, que mihi intermissa

epistola ad Philippum, quæ tunc exstabat, eum in numero Fidelium fuisse. Namque in lib. De Viris illustribus, in Origene cap. 54. *Ad Philippum Imperatorem*, qui primus de Regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem ejus litteras fecit, quæ usque hodie extant. Has tamen epistolas nec vidit, nec legit Hieronymus: alioquin non ad Philippi matrem, sed ad uxorem ejus ab Origine scriptam Epistolam alteram animadvertisset. Quandoquidem Eusebius lib. 7. cap. 36. Exstat, inquit, ejus epistola ad Imperatorem ipsum Philippum, & altera ad conjugem illius Severam. (11) Primum ex his legisse videtur Vincentius Li-

ri-

videbantur, adjeci, in Romana maxime historia, quam Eusebius hujus conditor libri, non tam ignorasse, utpote eruditissimus, quam ut Græce scribens, parum suis necessariam perstrinxisse, mihi videtur.

*Idem Eusebius in eodem Chronicō ad an. Dom. 348. pag. 746. 746.: Regnantibus Philippis millesimus annus Romanæ Urbis expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiæ in Circo magno interficeret, ludique in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo pèr vigilante, celebrati, Vel bæc scriptis Eusebius, vel addidit Hieronymus. Si pri-
mum, Eusebius in Historia Ecclesiastica loco citato no-
luit significare, Philippum fuisse Christianum, si secun-
dum, Hieronymus secum pugnat. Ea enim, quæ alte-
ruter verbis recitatis descripsit, nihil habent moris
Christianorum, sed meram redolent superstitionem Eth-
nicorum.*

Modum ludorum exponit Zosimus Histor. lib. 2. cap. 5. pag. 126. edit. Cellarii.

(11) Pagius ad an. 244. §. 7. Eusebius non asserit, se eas epistolas legisse, & si vere Philippus, ejusque conjux litteras illas acceperint, non inde magis se-
quitur, eos Christianos fuisse, quam Antoninum Im-
peratorem Evangelio credidisse, quod ad eum S. Ju-
stinus Martyr scripserit. Et paucis interjectis; Nec
etiam major fides Hieronymi de conversione Philippi

Im-

rinensis: ait enim Christiani magisterii auctoritate *conscriptam*. (12) Atque hæc fortasse epistola eidem Lirinensi, & Hieronymo occasionem dedit inserendi Philippum Christianis, quamvis index sit favoris duntaxat & studii, quo Philippus Christi doctrinam prosequebatur.

Quid multa? ab uno, crediderim, Eusebio accepterunt quicumque Græci ac Latini edunt, Philippum Catholicam religionem suscepisse. Suscepisse autem ante Iudos sacerulares anno Urbis conditæ 1000. Christi 247. ex Latinis Orosius lib. 7. cap. 28. his verbis docuit: *Philippus Christianus ad hoc tantum constitutus fuisse nibi visus est, ut millesimus Romæ annus Christo potius, quam idolis dicaretur.* Ita, ut idem Orosius alio loco, *Iudicis magnificis augustissimus omnium præteriorum hic natalis (Urbis Romæ) annus a Christiano Imperatore celebratus est.* Nec dubium est, quin *Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Christum & Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias nullus auctor ostendit.* Hoc vero perperam & injuria memoriae proditum ab Orosio. Nam spectacula Christianis vetita (13) ad Christum & ad Ecclesiam re-

Imperatoris loquentis, quam cum in lib. *De Script. Eccles.* de Seneca scribit: *Quem non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me illæ epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.* Vide nostram Historiam Apostolicam in D. Paulo.

(12) Commonitorii cap. 17. pag. 343. Sed & ejusdem (*Origenis*) epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum, qui primus Romanorum Princeps Christianus fuit, Christiani magisterii auctoritate conscripsit.

(13) Horum occasione scriptum pütant a Tertulliano librum *De Spectaculis*, & illum *De Idololatria*, quibus plane declarat, rectam Christianæ religionis institutionem abhorruisse admodum ab istiusmodi spectaculis

reportare Philippus non debuit, immolatas autem ex more hostias, testatur Aurelius Victor in libro De Cæsaribus cap. 28. ubi dicit, Philippum *ludis omnium generum*, ideoque etiam sacris, quibus falsa numina colebantur, annum *Urbis millesimum celebrasse*, & *Ponificum lege hostias mactatas*. Idem Victor eodem loco queritur, ætate sua *annum millesimum centesimum nullis*, uti solebat, *solemnibus frequentatum*, aperte ostendens, more prisco & solemnri celebratum ætate Philippi, & nihil de antiquis ceremoniis immunitum. (14) Julius etiam Capitolinus in Gordiano tertio

culis a Gentilibus edi solitis: divinamq[ue] ultiōnē illos expertos esse addit, qui præter institutum iisdem non vererentur esse præsentes: Baronius ad an. 206. §. 4.

(14) Ecce integrum locum Aurelii Victoris ex citato libro de Cæsaribus cap. 28. Marcus Julius Philippus Arabs Thraconites, sumpto in consortium Philippo filio rebus ad orientem compositis, conditoque apud Arabiam Philippopolis oppido, Rōmām venere: extructoque trans Tiberim lacu, quod eam partem aquæ penuria fatigabat, annum Urbis millesimum ludis omnium generum celebrant. Et quoniam nomen admonuit; nostra quoque ætate post mille, centesimus, Consule Philippo, excessit, nullis, uti solet, solemnibus frequentatis: adeo in dies cura minima Rōmanæ Urbis. Quod equidem denunciatum illo tempore prodigiis portentisque. Ex quis unum memorare brevi libet. Nam cum Pontificum lege hostiae mactarentur, suis utero maris fœminarum genitalia apparuere. Ex quibus apparet, ut ait Pagius ad an. 247. §. 7. in ludis sacerularibus Philippi suum impurissimum animal mactatum fuisse exemplo Severi Imperatoris, qui in suis sacerularibus ludis porcam immolarat, ut ex ejus Numismatis constat.

Idem Victor in Epitome cap. 28. Patrem (Philippum) ludis sacerularibus petulantius cachinnantem (Philippus filius) quamquam adhuc tener vultu narravit aversato.

tio cap. 33. afferit, omnia spectacula data fuisse in ludis editis a Philippo. Fuerunt, inquit, sub Gordiano Romæ elephanti XXX. & II. quorum ipse XII. misserat, Alexander decem, alces X. tigres X. leones mansueti LX. . . & cetera hujusmodi animalia, innumerata & diversa: quæ omnia Philippus ludis saecularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas, parabat ad triumphum Persecutum. Sed vorum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit saecularibus ludis, & munieribus, atque Circensibus, cum millesimum ab Urbe condita annum in consulatu suo, & filii sui celebravit. Quid est more Majorum celebrare ludos, si hoc non est? Id quod vidit etiam Baronius, qui non vult, Philippum ante ludos saeculares, sed ludorum tempore Ethnicam superstitionem abdicasse, quamvis id velit secutus Acta S. Pontii, quæ nullam habent auctoritatem. (15) Errat igitur Orosius negans,

ascen-

sum

(15) Baronium ad Eusebii opinionem tuendam præcipue pertraxisse videntur Acta S. Pontii Martyris, a Baluzio postea ex tribus Codicibus MSS. Bibliotheca Colbertinæ lib. 2. *Miscell.* pag. 124. & seqq. publicata, & a Bollando ad diem XIV. mensis Maji, quo colitur: in illis enim dicitur, S. Pontium utrumque Philippum ad fidem Christianam convertisse: Cumque gratia individua in eis esset, tertio Imperii eorum anno, expleto millesimo anno a conditione Romæ, cum Diis suis sacrificandum pergere vellent, dicunt B. Pontio; Eamus, & repropietiemus nobis Deos Magnos, qui nos in istius millesimi anni circulum natalis Romæ perduxerunt. Paulo post Valerius Contubernalis S. Pontii, cui vita illa attribuitur, refert, Pontium, postquam utrumque Imperatorem Christianum fecisset, advolasse ad Fabianum Urbis Romæ Episcopum, ea, quæ a se gesta essent, narrasse, additque: In initio templum, quod Magnum vocabant, ex jussione Imperatorum arripientes S. Fabianus, & Beatissimus Pontius, confringentes omnia ejus sculptrilia, simul cum

tem-

sum fuisse ab Philippo Capitolium, immolatasque ex more hostias. Ejus tamen error stat adversus eos, qui Philippum occulte, & clam Ethnicos, Christianum fuisse putant. Etenim aperte & palam omnibus Fidei Christi professus est, si neque hostias immolavit, neque in Capitolium ascendit. Quibus ex rebus conjici licet, Constantinum potius, quam Philippum primum ex Romanis Imperatoribus Christo nomen dedisse. (16)

E 2

DISPU-

templo funditus subventerunt. Ita factum est, ut omnis populus ad notitiam Domini nostri JESU Christi cum alacritate, & gaudio concurreret, ut baptismatis unda perfusi Domino benedicerent: Benedictus in Comment. prævio ad Acta illa num. 2. ait: Censemus, ea quoad substantiam historiæ indubitanter recipi posse, esto num. 9. & alibi grandior aliqua auxesis inveniatur, ubi de Templorum destructione, & populi Romani conversione sub Philippis Christianis Imperatoribus fit mentio. Verum ex verbis illis longe post S. Pontii martyrium ea Acta scripta fuisse, & Scriptori coætaneo affecta palam evincitur: quod cum intellegret Baronius, dicit, se se putare, ea verba ab aliquo potius fuisse addita, & in illis ejusdem Pontii Actis apud Mombrium ea desiderari. At ea esse Auctoris Actorum, non vero alicuius Interpolatoris, demonstrant editiones Baluzii, & Bollandi ad fidem MSS. concinnatae. Ex illis itaque Actis nihil hanc in rem erui potest. Pagius ad an. 244. §. 6.

(16) *Julius Capitolinus in Gordiano III. extremo cap. 31. 2. Denique Philippus cum eum (Gordianum) interfecisset, neque imagines ejus tollere, neque statuas deponere, neque nomen abradere, sed Divum semper appellans etiam apud ipsos milites, cum quibus factionem fecerat, serio animo & peregrina calliditate veneratus est. Hæc cine nota est Christiani?*

Eurropius in Breviario Historiæ Romanae lib. 9. cap. 3. : Ambo deinde ab exercitu imperfecti sunt: senior Philippus Veronæ, Romæ junior: inter Divos tamen relati

relati sunt. Tam igitur verisimile est, Philippum Christianis annumerandum, quam probabile, Christianum Divum numero additum.

Aurelius Victor De Cæsaribus cap. 29. Usum virilis scorti renovandum honestissime consultavit.

Lampridius in Alexandro Severo cap. 24.: Habuit in animo, ut exoletos vetaret, quod postea Philipus fecit. Sunt ista quidem Christiano Principe digna, haud tamen probant, Philippum fuisse Christianum.

DISPUTATIO VII.

De S. Stephano I. Baptismum Hæreticorum approbante.

Venerabilis memorie Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortaliū contra divinū canonem, contra universalis Ecclesiæ regulām, contra sensum omnium consacerdotum, contra mōrem atque instituta Majorum, rebaptizandum esse censuit. Quæ præsumptio tantum mali invexit, ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris. (1) Sane Agrippini

(1) Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 6. pag. 322.

Cyprianus Epist. 71. pag. 274.: Quod quidem (decreta de rebaptizandis hæreticis) & Agrippinus bona memoria vir cuin ceteris Coepiscopis suis, qui illo in tempore in provincia Africa & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librato consilio communis examine firmavit.

Augustinus de baptis. contra Donatistas lib. 2. cap. 7. §. 12.: Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi.

pini decessoris sui vestigia secutus D. Cyprianus omnes, qui ex quacunque hæresi ad Ecclesiam converterentur; Ecclesiæ unico & legitimo Baptismo baptizandos existimavit, (2) idque ratum fecit tribus Synodis Carthagine celebratis, (3) quarum alteram ad Stephanum direxit, ut si fieri posset, hunc in sententiam suam pertraheret: Sed conatus ejus frustra fuit. (4) Nam

E 3

Ste-

(2) *Extrema epist.* 74. ad Pompejum pag. 298.

Augustinus lib. 3. De Bapt. contra Donatistas cap. 12.

§. 17.: Ideo autem non se novam aut repentinam rem statuisse B. Cyprianus ostendit, quia sub Agrippino fieri jam cœperat. Anni sunt, inquit (*epist. 73. pag. 279.*) multi, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bona memoria viro convenientes Episcopi plurimi hoc statuerunt. Proinde ab ipso Agrippino res nova facta est: non a Cypriano, ut scribit Eusebius *lib. 7. Hist. Eccl. cap. 3. pag. 205.*: Hanc vero longam ætam, & annos multos in paucos contrahit *Augustinus lib. 4. De Bapt. cap. 6.*: Consuetudinem (non reabaptizandi hæreticos) tam robustam Cyprianus invenit, ut cum ejus mutande auctoritatem, quam sequeretur, vir tanta scientia prædictus quereret, non nisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini Concilium reperiret. Quod cum sibi adversus totius orbis morem non sufficeret, has rationes arripait, quas modo nos antiquitate ipsius consuetudinis, & plenarii postea Concilii auctoritate firmati, diligentius considerantes, verisimiles potius, quam veras esse invenimus.

(3) *De his Synodis Labbeus tom. 1. Conc. pag. 761. 763. & 786. Harduinus tom. 1. Conc. pag. 154. 157. & 158. Prima anno 254. celebrata meminit S. Cyprianus epist. 71. ad Quintum. Altera habita est anno sequenti 255. eique interfuerunt Episcopi numero septuaginta unus, teste eodem S. Cypriano epist. 73. ad Zubajanum pag. 277. Tertia item anno 255. celebrata est. Vide Baronium ad an. 258. §. 17. 27. & 42.*

(4) *S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos §. 23. tom. 2. pag. 196.*

Stephanus non solum non rebaptizandos hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos esse censuit, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litteræ ostendunt. (5) Ecce duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet, & Carthaginensis Episcopi Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti: quorum Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat: Cyprianus autem in hæresi, vel schismate baptizatos, tamquam non habentes Baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat. Multi cum illo, (6) quidam cum isto etiam sen-

(5.) Epist. 74. ad Pompejum pag. 296. ubi de Stephanī decreto ita loquitur: Dat honorem DEO, qui hæreticorum amicus, & inimicus Christianorum. Sacerdotes DEL, veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat?

S. Augustinus lib. 5. De Bapt. contra Donatistas cap. 25. §. 36. Stephanus etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur.

Et quidem Stephanum anathematis metum duntaxat objecisse Cypriano & Africanis, Firmiliano & Asianis, affirmant ex recentibus Bellarminus lib. 1. de Conc. extremo cap. 20. Valesius annotat. ad Eusebium lib. 7. Hist. Eccl. cap. 4. Schelstratus Part. 2. Antiquitatis illustratæ circa Concilia dissertat. 1. cap. 5. art. 2. Natalis Alexander Dissertat. 12. in Hist. Eccl. sec. III. art. 1. E contrario & Cyprianum cum Africanis, & Firmilianum cum Orientalibus ab Stephano amotos communione Fidelium, existimant Rigaltius in notis ad epist. Firmiliani 75. inter Cyprianicas, Christianus Luppus in schol. ad can. 22. Dictatus Gregorii VII. Basnagius ad an. Dom. 256. §. 9. Baronius autem ad an. 258. §. 15. 16. 44. 49. 50. aliique dicunt, Stephanum mansisse quidem in communione Cypriani, Firmiliani vero non item. Vide annotat. 4. ad Stephanum I.

(6.) Idem Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap.

sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes. (7) Sed tamen præ ceteris Cypriano non consensit, atque adeo restitit Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum Fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quæ tunc ad Africanam missa est, his verbis sanxit: NIHIL NOVANDUM NI-SI QUOD TRADITUM EST: (8) atque ita contrarium omnino decrevit sententia D. Cypriani apud haereticos vel schismaticos datum Christi Baptismum nolentis cognoscere. (9) Intelligebat enim vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur: nosque religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere: idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed a Majoribus accepta servare. (10)

E 4

Sunt

3. §. 3. dicit, fuisse tot millia Episcoporum, quibus hic Cypriani & Firmiliani error in toto orbe disperguit. Et lib. 2. contra Gaudentium cap. 8. afferit, Stephani fuisse innumerabiles toto orbe collegas, qui ejusdem sententiae participes erant.

(7) S. Augustinus De unico Baptismo contra Petilianum cap. 14: §. 23.

(8) Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 6. pag. 323.

(9) S. Augustinus Lib. de unico Baptismo contra Petilianum cap. 13. §. 22.

Idem lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 18. num. 28.: Antequam plenarii Concilii sententia, quid in hac re sequendum esset, totius Ecclesiarum consensio confirmasset, visum est ei (Cypriano) cum ferme octoginta Coepiscopis suis Africanarum Ecclesiarum, omnem hominem, qui extra Ecclesiarum Catholica communione baptizatus fuisset, oportere ad Ecclesiam venientem denuо baptizari.

(10) Memoratus Lirinensis loco citato.

Sunt nihilominus qui sanctum hunc & prudentem virum redarguant, quasi haereticorum Baptismum admiserit quemcunque, sicut Cyprianus haereticorum Baptismum rejiciebat quemcunque. (11) Verum quam id perperam faciant, colligitur ex Stephani ipsius sanctione: Si quis ergo, ajebat, a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam. (12) Traditionum

(11) Launodus lib. 8. epist. 15. §. 4. tom. 5. part. 2. pag. 743.

Basnagius ad an. Dom. 256. §. 4. Dupinus in Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum tom. 1. pag. 151. 152. & 176.

(12) Apud S. Cyprianum epist. 74. pag. 293.

Eusebius lib. 7. Histor. Eccl. cap. 2.: Ad hunc Stephanum Dionysius primam earum, quæ de baptismō conscriptæ sunt, epistolam exaravit, cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex quilibet haeresi convertuntur, baptismō purgari oportaret. Quippe antiqua consuetudo invaserat, ut in ejusmodi hominibus sola manuū impositio cum precationibus adhiberetur. Et cap. 3.: Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratuſ. Hanc traditionem & consuetudinem non iterant Baptismi ab haereticis collati servatam fuisse etiam ab Afris ante decretum Agrippini, testatur Firmilianus ipse epist. 75. inter Cyprianicas pag. 308.: Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse. Vide superius positam annotationem 1.

S. Gregorius lib. 11. epist. 67. ad Quiricum: Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut quilibet a pudi haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeant, aut unctione Christianitis, aut impositione manus, aut sola professione Fidei ad finum matris Ecclesiarum revocentur. Eadem habet Gratianus De Consecrat. dist. 4. c. Ab antiqua. 44.

tum autem erat, ac talis per omnia consuetudo tenebatur, ut Baptismus Christi, hoc est forma a Christo instituta collatus, non nisi Christi Baptismus haberetur, et si amisi apud haereticos vel schismaticos datus fuisse probaretur. (13) Nam Spiritus Sanctus disciplinae fugiet Baptismus. Itaque sicut potest Baptisma esse, & unde se afferri Spiritus Sanctus: ita potest esse Baptisma, ubi non est Ecclesia. Manus aurem impositionis, si non ad biberetur ab haeresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti, sine quo non valent ad salutem quaecumque alia sancta in homine fuerint, manus haereticis correctis imponitur. (14) Adjicit Stephanus: cum ipsi haeretici propriæ alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum: (15) quibus verbis significat, haereticos proprium sibi non arrogare Baptisma, quo venientes ad se baptizent, sed commune & in sua, & in aliis sectis revereri, (16) ideoque horum exemplum Cypriano ad imitandum proponit; quod procul dubio non fecisset, nisi habuisset pro certo, etiam haereticos prescriptam a Christo formam Baptismatis servare con-

E 5

suevit-

(13) S. Augustinus lib. 3. De Baptismo contra Donatistas cap. 2. §. 3.

(14) Idem S. Augustinus lib. 5. De Bapt. contra Donatistas extremo cap. 23. §. 33.

S. Leo epist. 129. ad Nicetam Episcopum cap. 7. Qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt.

(15) Apud S. Cyprianum epist. 74. pag. 293.

(16) Monachus Congregationis S. Mauri in Praefatione ad Opera S. Cypriani §. 4. pag. XV.

Eam vero esse sententiam Stephanus indicant verba ejus apud Firmilianum epist. 75. inter Cyprianicas pag. 303. Stephanus in epistola sua dixit: Haereticos quoque ipsos in Baptismo convenire, & quod alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.

fuerisse. (17) Quid quod Cyprianus & Firmilianus, qui in primis Stephano adversabantur, aperte tradunt, eum ad ratihabitionem Baptismi noluisse inquire a quo, sed cuius nomine, auctoritate, & quibus verbis admiristratus esset? En verba Cypriani: Effectum Baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine IESU Christi ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & sanctificati judicentur. (18) Firmilianus vero: Illud quoque absurdum, quod non putant querendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, & quod qui ba-

pti-

(17) Firmilianus in eadem epistola 75. inter Cyprianicas pag. 306. Vult Stephanus his, qui apud hereticos baptizantur, adesse presentiam, & sanctimonię Christi.

(18) Epist. 14. ad Pompejum pag. 294.

S. Ambrosius De Spiritu Sancto lib. I. cap. 3. §. 44. pag. 609. tom. 2. In Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est, Filium, & Spiritum Sanctum, quo unctus est, designasti.

S. Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 17. §. 1. Procul dubio nec in ejus (Spiritus Sancti) nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus: Agite penitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini IESU Christi, quia non ait, & Spiritus Sancti; nec in Patris nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre & Spiritu Sancto, in nomine IESU Christi jussi sunt baptizari, & tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: cur non sic audis de Filio DEI, Omnia per ipsum facta sunt, ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum?

Idem S. Augustinus lib. 5. De Baptismo cont. Donatistas cap. 5. §. 6. Homines occulta nescio qua inspiratione DEI detestantur, si quis iterum baptismum accipiat, quem ubicunque jam acceperat.

privatus sit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. (19)
 Ratum igitur habuit Stephanus Baptisnum collatum a quocumque ea verborum formula, qua sola Baptisnum perfici Catholica Ecclesia doceat: alioquin Cyprianus & Firmilianus aliter sentientis crimen nullo modo tacuiscent. Itaque S. Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas passim asserit, Stephanus decreto, *Baptisnum Christi in nullo iterandum esse censentis, sartam, tectamque servataam esse consuetudinem ex Apostolica traditione venientem,* (20) quæ etiam plenario totius Orbis Concilio confirmata est, (21) eoque retenta antiquitas, explosa novitas. (22)

Sed dum rem in vado esse credimus, adversarii nobis objiciunt, quod Stephanus a quacumque heresi venientem baptizari in Ecclesia veruit, id est omnium hereticorum Baptismata justa esse & legitima judicavit. (23) Sed, Stephanus sententia illa: *A quacumque heresi, intelligenda est de solis hereticis, qui integra forma Baptismi, ac nullo modo virtuata uterentur.* Etenim verba, quæ vestigio subjungit: *nihil innovetur, nisi quod traditum est,* satis ostendunt, Stephanum ratum jussisse illud duntaxat Baptisma, quod Tradition probaret. Traditione autem probari tantum Baptisma administratio forma a Christo Domino imperata, quis ignorat? Praetulare Augustinus lib. 5.

De

(19) In citata epistola 75. apud S. Cyprianum pag. 304.

(20) S. Augustinus lib. 2. De Baptismo contra Donatistas ea, 7. §. 12. Vide infra annotationem 24.

(21) S. Augustinus lib. 4. De Bapt. contra Donat. cap. 6. §. 8. Et lib. 6. cap. 7. §. 10. Eamdem consuetudinem dicit etiam Conciliis universalibus roboratam. Vide annotat. 8. ad Stephanum I.

(22) Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 6. pag. 323.

(23) S. Cyprianus epist. 74. ad Pompejum pag. 293. quem ignorasse sententiam Stephani adversarii sui, nemo sibi facile persuadeat.

De Bapt. contra Donatistas cap. 23. Utique Stephanus non propterea communicavit hæreticis, quia Baptisma Christi, quod in eorum perversitate integrum mansisse cognovit, improbare non ausus est. Nam si non habent Baptismum, qui de Deo prava sentiunt, hoc posse & in suis accidere, jam satis, ut arbitror, disputatum est. Apostoli autem nihil quidem exinde præcepérunt, sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est: sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiuntur. (24)

Nec

(24) Idem S. Augustinus lib. 2. De Bapt. cap. 7. §. 12. Nondum erat diligenter illa baptisini quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis corrigerere quod pravum est, non curare quod sauum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem: sicut multa, quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita creduntur.

Natalis Alexander Dissertat. 14. in Histor. Eccles. sac. III. pag. 696. 697. Eumdem ferme loquendi modum S. Hieronymus usurpat in fine Dialogi adversus Luciferianos, ubi baptismus hæreticorum receptum semper fuisse in Ecclesia Romana afferit, nec illos excipit, qui baptismi formam violabant, nec tamen illorum baptismus S. Hieronymi temporibus ab Ecclesia suscepimus, quis sapientius afferit. Cur igitur Stephano is affingitur error, qui alio modo non est locutus, quam S. Hieronymus locutus fuerit quarto saeculo cadente? Si Hæretici Baptisma non habent, inquit laudatus Pater, & ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in Ecclesia non fuerunt, ipse quoque Hilarius non est Christianus: in ea quippe Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab hæreticis Baptismum recepit. Et infra: Quod si negandum quis-
piam

Nec Benedicti XII. responsio ad objecta Fraticellorum adversus constitutiones Joannis XXII. quam suo Directorio Inquisitorum part. 2. quæst. 17. pag. 295. Nicolaus Eymericus inseruit, pondus illum habet ad infirmandam assertionem nostram. Nam existimavit quidem Benedictus, adhuc Cardinalis, Stephanum, & Cyprianum lapsos esse in errores omnino contrarios, & Concilium Nicænum utramque opinionem correxisse, determinando quod baptizati ab hereticis non servantibus formam Ecclesie venientes ad Ecclesiam baptizentur; ab aliis vero hereticis baptizati, non rebaptizentur: verum deceptus est, & in facti quæstione longe a veritate aberravit. Siquidem in Concilio Nicæno primo c. 19. causum est his verbis: Si qui confugerint ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis & Cathaphrygis, statutum est, rebaptizari eos debere. Propterea vero ita sancivit, quoniam Pauliani heretici a Paulo Samosateno exorti non baptizabant forma Ecclesie consueta, & ideo oportebat eos, qui revertebantur ad Fidem, baptizare. Non ergo correxit Concilium Stephani Papæ decretum, sed per omnia cum ipso consensit. (25)

Est etiam, qui dicat Stephani doctrinam damnatam in Concilio Carthaginensi III. anno 258. congregato a D. Cypriano. At Concilii istius decreta abolita &

ab-

piam putaverit, hereticos a Majoribus nostris semper fuisse suscepitos, legat B. Cypriani epistolæ, in quibus Stephanum Romanæ Urbis Episcopum, & in veteratæ consuetudinis lacerat errorem. Legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos de hereticis rebaptizandis edidit, & ibi reperiet, ipsum Hilarium confiteri, a Julio, Marco, Silvestro, & ceteris veteribus Episcopis similiter in pénitentiam omnes hereticos suscepitos. Denique laudat Nicænum Concilium, quod omnes hereticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis, id est omnium hereticorum præterquam Paulianistarum baptismata ratum habuit. Vide annotat. J. sequentis Disputationis.

(25) Franciscus Pegna Comment. in citarum locum Preceptorii pag. 301.

abrogata sunt non solum a Stephano, sed etiam a Concilio plenario, ut testatur Augustinus contra Donatistas. (26) Quare Concilium istud erravit damnans doctrinam Stephani: nullo autem modo erravit Stephanus eamdem doctrinam confirmans. Accedit, numquam in hoc concilio reprobatum fuisse Stephano, quod ratum haberet quemlibet hæreticorum Baptismum, ac putaret nullum hac in re ponendum esse discriminem inter hæreticos. Non igitur Stephanus in eo errore versatus est, ut hæreticorum Baptisma probaret sine discriminâ.

Est deum, qui opponat, paucos admodum fuisse hæreticos, qui in nomine Trinitatis baptizarent, aut baptizarentur ante exortam Stephanum inter & Cypri-
num controversiam: præterea Stephanum, ut est in Cy-
priani epistola 74. Marcionis admisiſe Baptisma, in
quo nulla fiebat Trinitatis mentio. (27) Cum igitur Stephanus hæreticorum quorumcunque Baptisma pro-
barit, ac nominatim illud Marcionis, non illud solum probavit, quod expresso divinarum personarum nomi-
ne administratum esset. Sed, ut ait S. Augustinus lib. 6. De Bapt. contra Donatistas cap. 25. facilius in-
veniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam
qui non illis verbis (Evangelicis) baptizent. Neque
hoc Augustini testimonium intelligendum est de hære-
ticis ipsi æqualibus, non item de antiquis. Nam
quod de hæreticis quarti & quinti sæculi tradit Augu-
stinus, id potiori jure dici potest de hæreticis sæculi
secundi, & tertii: cum non defuerint hæretici, qui ini-
tio sectæ suæ communem & Catholicam baptizandi for-
mam secuti, eam postea mutarint, quo magis redditum
ad Ecclesiam Catholicam suis intercluderent. Id certe
de Encratitis testatur S. Basilius. (28) S. Cyprianus

ve-

(26) Lib. 1. De Bapt. contra Donatistas cap. 7.
& 18. lib. 2. cap. 3. & 4. lib. 4. cap. 5. & alibi.

(27) Launojus epist. 15. lib. 8. pag. 743.

(28) Epistola canonica 1. can. 1. tam. 3. pag. 270.
Nimirum ut redditum sibi in Ecclesiam intercludant,

ag-

vero cit. ep. 74. idcirco dicit, *Baptismum Marcionis, Valentini, & ceterorum blasphemantium in DEUM Patrem Stephano ratum fuisse*, quia collatus fuerat in nomine IESU Christi, hoc est virtute, auctoritate, & forma ea, quam idem Salvator ac Dominus noster servandam præceperat. Neque obest, quod de Trinitate haud recte sentirent. Siquidem, ut docet Augustinus lib. 3. De Bapt. cap. 15. *Si Evangelicis verbis, In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Marcion baptismum consecrabat, Integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinans, quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.*

Tandem quæ alii proferunt adversus Stephanum, ea longum est, & non necessarium confutare. Illud hic quidem certe prætermittendum non est, Sanctorum Cypriani & Firmiliani errorem habere excusationem; tum quia Stephanus nihil decrevit adversus eos, quainvis decernendi minas objecerit; tum etiam quia S. Cyprianus, ejusque sectatores eo animo in contentionem cum Stephano venerunt, ut salva semper caritatis unitate, & pace pugnarent. Haud equidem constat; S. Cyprianum ante mortem de sententia sua decessisse: cum tamen in Ecclesiæ communione non solum vixerit, sed etiam Martyr obierit, credendum est, sanguine eluisse maculam, si quam ~~exhibet~~, (29) sua contraxerat. Nam præclare Augustinus: *Etsi litteræ ragent, merita clamant: si epistola non invenitur (ejus resipiscientiæ) corona restatur: si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum.* (30)

DISPU-

aggressi sunt deinceps proprio baptinate præoccupare: unde & suam ipsorum consuetudinem violabant.

(29) Inobedientia.

(30) Lib. 2. De Bapt. contra Donat. cap. 5. §. 6. Et superiore cap. 4. §. 5. Fortasse factum est, ut correxerit sententiam suam, sed nescimus. Neque enim omnia

omilia, quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriarum litterisque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata sunt, novimus.

Idem S. Augustinus epist. 93. §. 38. Cyprianus sensisse aliter de baptismo, quam forma & consuetudo habebat Ecclesie, non in Canonicis, sed in suis & in Concilii litteris invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto veluti patrocinio carere noluerunt. Quinquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub ejus nomine a presumptoribus, atque mendacibus fuisse confitentur. Neque enim sic potuit integritas, atque notitia litterarum unius quamlibet illustris Episcopi custodiri, quemadmodum Scriptura Canonica, tot linguarum litteris, & ordine, & successione celebrationis Ecclesiastice custoditur, contra quam tamen non defuerunt, qui sub nominibus Apostolorum multa confingerent. Frustra quidem, quia illa sic commendata, sic celebrata, sic nota est: verum quid possit adversus litteras non canonica auctoritate fundatas, etiam hinc demonstravit impiae conatus audacie, quod & adversus eas, quæ tanta notitiae morale firmatae sunt, se se erigere non prætermisit.

Idem S. Augustinus alibi S. Cyprianum purgat, ac defendit, videlicet lib. 1. De Bapt. cap. 18. lib. 2. cap. 4. 5. 8. 15. & lib. 5. cap. 17. &c. Vide annot. 3. ad S. Stephanum.

DISPUTATIO VIII.

De Concilio Plenario D. Augustini.

Disputatio hæc est accessio quædam, & quasi complementum superioris. Quæstio enim, quæ de Baptismo hæreticorum fuit inter Stephanum Pontificem, & S. Cyprianum, & Stephani sententia dijudicata est in Concilio, quod Augustinus sæpe vocat

Ple.

Plenarium, (1) & celebratum dicit post Cypriani quidem passionem, sed antequam ipse natus esset. (2) Porro post mortem Cypriani, qui obiit anno Christi 258. & ante ortum Augustini, qui natus est anno Christi 355. habita sunt Concilia duo, in quibus aetum est de baptismo collato ab haereticis, Arelatense I. anno Christi 314. & Nicenum I. OEcumenicum an. 325. In primo clare & aperte oannis controversia tollitur, in secundo ex necessaria tantum consecutio ne dirimitur. Etenim Concilium Arelatense can. 8. statuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. (3) Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. (4) Concilium vero Nicenum can. 8. & Baptisimi & Ordinis Sacramentum a Catharissen Novarianis collatum admittit, & can. 19. rursus baptizandos decernit, qui Baptismum suscepissent a Paulianistis, (5) nempe quia Paulianista

in

(1) S. Angustinus lib. 1. De Bapt. contra Donatistas cap. 7. §. 9. Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos Patres Episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare, atque fluctuare, ut diu conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec Plenario totius Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.

(2) Lib. 2. De Baptismo contra Donatistas cap. 9. §. 14.

(3) Vide annotationem 14. superioris disputationis.

(4) Apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 1428. & apud Harduinum tom. 1. Conc. pag. 264.

(5) Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 31. 38. & apud Harduinum tom. 1. pag. 326. & 332.

S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos §. 26. pag. 290. tom. 2.: Synodus Nicæna, cuius paulo

in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant, & Novatiani iisdem tremendis, veneranturque nominibus baptizant. (6)

Iaque utrum ex his duobus Conciliis Augustinus Plenarii nomine designaverit, summa virorum doctissimorum dissensione certatur. Veri similior videtur opinio eorum, qui Augustinum putant significantius indicasse Nicænum OEcumenicum I. Ea enim, quæ Augustinus scribit de Concilio Plenario, magis huic quam Arelatensi convenienter. Namque ait, *Plenaria Concilia esse, quæ fiant ex universo Orbe Christiano: atque hæc opponit Conciliis, quæ per singulas regiones, vel provincias fiant,* (7) idemque controversiam baptismi ab hereticis administrati finitam afferit a Plenario totius Orbis Concilio, ab universæ Ecclesie Concilio, a Sancto Concilio cunctarum gentium, a Concilio Catholico Orbis terrarum, (8) quo nomine appellari non potest Concilium Arelatense ex solis Episcopis Occidentalibus congregatum. Quod præterea docet idem Augustinus scribens, Ecclesiam universam, aut saltem plurimas, & nobilissimas non novisse caussas Cæcilia-

ni

ante fecimus mentionem, omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis. Et quod his manus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.

(6) *Innocentius I. epist. 22. cap. 5. apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1275. & apud Gratianum 1. quest. 1. cap. Paulianistæ. 53.*

(7) *Lib. 2. De Bapt. contra Donatistas extremo cap. 3. : Ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiant, pleniorum Conciliorum auctoritati, quæ fiant ex universo Orbe Christiano, sine ullis ambigibus cedere; ipsaque sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.*

(8) *Lib. 1. De Bapt. contra Donatistas cap. 7. §. 9. lib. 3. cap. 9. §. 14. lib. 5. cap. 17. §. 23. lib. 6. cap. 13. §. 21.*

ni (9) in Concilio Arelatensi cognitam atque judicata
tam, quæ per Orbem totum vulgata, ac nota esse
debuit, si fuit Plenarium rotius Orbis Concilium. Ac-
cedit, quod affirmat, Donatistas post absolutum in
Concilio Romano Cæcilianum, damnatumque Dona-
tum a Casis Nigris (10) conquerentes de corruptis
contaminatisque judicibus non postulasse, quod resta-
bat abduc Plenarium Ecclesiæ universæ Concilium; sed
satis habuisse confugere ad Imperatorem, qui illis de-

F 2

dit

(9) In libro ad Donatistas post Collationem cap. 18.
§. 24.: Hæc verba per orbem terræ universa personar
Ecclesia, clamat etiam membrum illius in Africa: Te-
stimonium Dei novi, negotium Cæcilianni non novi.

Ex lib. 4. Contra Cresconium cap. 25. §. 32.: Valeat
apud vos Baptismus ab Optato datus, quem sic damnare
noluisti, ut tamen non fueris ausus absolvere: & non
valeat Baptismus in Ecclesiis Apostolico labore fundatis
Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Colossem-
sium, Philippensium, Thessalonicensium, ceterarum
que in sanctis litteris, quas & vos legistis, conscripta-
rum, ubi Cæcilianni, non dico falsum illud crimen,
sed forte nec verum nomen audiendum est & accu-
setur conscientia tot, tantarumque gentium Christia-
narum, quia remotissimas lites ignoravit Afrorum.

Falsum autem crimen Cæciliiano ab Donatistis impo-
fitum erat, quod esset à Traditoribus ordinatus, & vi-
ctum afferre Martyribus, cum esset Diaconus, prohi-
buisse diceretur: S. Augustinus in Breviculo Collatio-
nis tertii diei cap. 14. §. 26. Vide annotat. 2. ad S. Cor-
nelium.

(10) Quod confessus sit rebaptizare, & Episcopis
manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est: S.
Optatus De Schismate Donistarum lib. 1. cap. 24.

Donatus a Casis Nigris primus apud Carthaginem
ipsum nefarium Donistarum schisma commisit: S.
Augustinus lib. 1. Retract. cap. 21. §. 3.

dit aliud Arelatense judicium. (11) Quid quod licet Arelatensis Concilii auctori atem ad convincendos Donatistas omni ratione urgeat, illud ne Concilium quidem, ne dum Concilium Plenarium, aut OEcumenicum vocat, sed judicium duntaxat Episcopale, eo videlicet nomine, quo appellat Concilium Romanum in eadem caussa habitum sub Melchiade? (12. Quid
quod

(11) *Epist. 43 alias 162. cap. 7. §. 19.*: Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus caussa posset agitari, ut si male judicasse conveti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint, probent: nos enim non factum esse facile probamus, ex eo quod totus Orbis non eis communicat: aut si factum est, etiam ibi sunt victi, quod ipsa eorum separatio manifestat. Sed tamen quid postea tecerint, Imperatoris litteris sufficientissime ostenditur. Judices enim Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, quorum judicio & Cœcilianni innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod male judicarint. Dedit ille aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum.

(12) *Epist. 88. alias 68. §. 3.* Jussit Imperator venire partes ad Episcopale judicium in Urbe Roma faciendum, ubi quemadmodum caussa dicta, atque finita sit, & Cœcilianus innocens judicatus sit, indicant Gesta Ecclesiastica. Jam utique post Pacificum moderamen judicij Episcopalis, omnis contentionis, & animositatis pertinacia debebat extingui. Sed rursus maiores vestri ad Imperatorem redierunt, & non recte judicatum, neque omnem caussam audiām esse, conquesti sunt. Unde ille alterum Episcopale judicium dedit habendum in Arlatensi Galliæ Civitate.

Et lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 92. §. 205.
Petentibus Majoribus vestris, Episcopale judicium
dnu-

quod idem tradit, S. Cyprianum cum Concilio provinciae sue universi Orbis auctoritati, patefacta veritate, censurum fuisse, si ad id temporis vixisse? (13) Nulli autem, opinor, Concilio, nisi OEcumenico cessisset Cyptianus, cui Episcopi totius Africæ, minoris Asiae, &c, si Hieronymo ac Baronio credimus, Patriarcha ipse Alexandrinus patrocinabantur. (14) Igitur Augustinus nomine Concilii Plenarii, cuius auctoritas Cyprianum vicisset, OEcumenicum Nicænum I. designavit.

U magis appareat, hanc Augustinum habuisse sententiam, ponamus ob oculos quid objiciant ii, qui volunt ab Augustino designatum fuisse Concilium Arelatense, & quid respondeant, qui existimant, designatum esse Nicænum.

Objiciunt ii, Augustinum passim vocasse Plenarium etiam Concilium Bagajense a tercentis decem Episcopis sectæ Donatistarum celebratum orto inter ipsos schismati sedando: (14) euindemque Concilium,

F 3 in

dederat Constantinus & apud Roinam, & apud Arelatum, quorum primum apud eum accusastis, ab altero ad eum appellastis. *Arelatense Concilium ab Augustino dicitur judicium Episcopale etiam lib. 4. contra Cœsonium cap. 7. §. 9.* & in Breviculo Collationis cum Donatistis in Collatione tertii diei cap. 19. & lib. post Collationem cap. 25. §. 44.

(13) Lib. 2. De Baptismo contra Donatistas cap. 4. §. 5.

(14) Ut est apud Tillemontium annotat. 44. in S. Cyprianum tom. 4. pag. 634.

(15) Lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 3. §. 7. Quid ergo de hoc propheticō capitulo ponunt, quod in ipsos retorqueri non possit? nisi forte de ovis aspidum, quorum multo ante meminerat dictator illius sententia plenarii Concilii trecentorum decem, qui cum universis provinciis Africæ convenerunt. Et paulo post: Sic eos describunt trecenti decem plenarii Concilii ore veridico. Et rursus: Quare in Schismaticos

in quo controversia de baptismate hæreticorum sublata est, dixisse transmarinum, vel universale, (16) cuiusmodi Afri est Arelatense, non Nicænum.

Respondent hi, Augustinum non vocasse Concilium Bagajense Plenarium præcise, vel Plenarium totius Orbis, & universæ Ecclesiæ: sed Plenarium Donatistarum, quod ei omnes convenientes interfuerint. Ut enim eum vocibus relativis, nempe Plenario Concilio suo, Plenarii Concilii vestri. Præterea non sine ironia locutum de eo Concilio Augustinum, quod appetet veridicum, & præsidentis DEI arbitrio celebratum, (17) irridens Donatistas, qui contulerent, Ecclesiam Christi de toto terrarum Orbe, ubi futura promissa est, periisse, atque in Africana Donati parte remansisse. (18) Nomine autem Concilii universalis, &

Trans-

ticos suos Maximianistas per eamdem plenarii Concilii sui sententiam talia dixerunt.

Et lib. 2. De Baptismo contra Donatistas cap. 7. §. 10. Cur denique de recentibus Maximianistis plenarii Concilii, sicut dicunt, ore veridico non dubitabant tale proferre judicium, ut eos primis illis schismaticis, quos vivos terra forbuit, compararent?

Et lib. 3. extremo cap. 2. §. 3. Maximianistas Concilio suo plenario damnatos, etiam terrenarum potestatum judicio sunt prosecuti.

Et lib. 4. contra Cresconium extremo cap. 8. §. 10. qui plenarii Concilii vestri ore veridico leguntur esse damnati.

(16) *Lib. 2. De Bapt. contra Donatistas cap. 9. §. 14. ubi de S. Cypriano sic loquitur: Satis ostendit multo magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset. Non dum autem factum erat; quia consuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere voluntibus novitatem.*

(17) *Lib. 2. contra Cresconium extremo cap. 53. Vide superius positam annotat. 15.*

(18) *Augustinus De Hæresibus cap. 69. Et lib. 4.*

con-

Transmarini indicasse Nicænum, ex eo colligi, quod lib. 2. contra Cresconium cap. 37. inter Ecclesiæ *Transmarinas*, quarum auctoritate objicit Donatistis, recenseat Ecclesiæ *Bithyniæ*, in qua est Nicæa, ubi celebratum est Concilium Nicænum, ideoque hoc etiam Concilium *Transmarinum* dici Afris posuisse.

Objiciunt illi rursus, in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Concilia ejusdem Ecclesiæ sæpe vocari *Universalia*, & *Plenaria*; (19) eamque ob rem Concilii *Plenarii* vocabulo Arelatense ab Augustino indicari.

Respondent hi, neminem, qui memoratos Canones aliquanto attentius legerit, non videre, ibi sermonem esse de Conciliis *Universalibus*, & *Plenariis Africæ*, non vero totius Orbis & Ecclesiæ universæ. Et quidem in Græco textu Can. 117. non legitur simpliciter *In Ecclesia Plenario Concilio constitutum est*, sed *in ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ*, hoc est, *in hac Ecclesia*, nempe Africanæ, *Plenario Concilio constitutum est*, ut ejus tantum Ecclesiæ Concilium designetur. Eodem modo nomen Concilii *universalis usurpari can. 138.* Ibi enim *Patres in inscriptione Epistolæ ad Cælestinum Potifi-*

F 4

cem

contra Cresconium cap. 58. §. 70. Quo igitur ore *contra Ecclesiam a Solis ortu usque ad occasum promissam voce Veritatis, & redditam, audes Ecclesiam plenariam dicere partein Donati, cum ipsa non sit nisi Africæ, illa vero cum tot gentibus sit & Africæ?*

(19) *Can. 19.* Si autem ad Concilium universale anniversarium occurrere noluerit, ut vel ibi caussa eius terminetur.

Cap. 28. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad Primate suarum provinciarum, aut ad universale Concilium.

Can. 117. Item placuit, quoniam quidem ante aliquot annos in Ecclesia plenario Concilio constitutum est. *Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1060. 1064. 1125, & apud Harduinum tom. 1. Conc. pag. 875. 878. 930.*

cem ita scribere de se: *Qui universalis Africano Concili Carthaginis adfuius.* [20] Sic Augustinum ipsum epist. 215. §. 2. Concilium Africanum, in quo damnata est hæresis Pelagianorum, vocasse *Concilium Plenarium totius Africæ.*

Objiciunt tertio, Concilium Arelatense *ex omnibus mundi partibus congregatum dici in can. 18.* Concilii Arelatensis secundi, [21] in epistola vero Constantini Magni ad Chrestum Syracusanorum Episcopum *ex locis diversis, & prope infinitis,* [22] proinde esse Plenarium D. Augustino.

Respondent hi, Concilium Arelatense I. *ex omnibus mundi partibus congregatum dici ὑπερβολικῶς.* & per exaggerationem: quandoquidem Patres ipsi ejus Concilii se ex diversis tantum provinciis convenisse testantur. [23] Similiter a Constantino significari plurimas ac diversas regiones, ex quibus iussu suo Episcopi in Urbem Arelatem convenerant, nullo autem modo indicari, Episcopos illuc conyenisse ex Orbe toto, ut hoc universæ Ecclesiæ Concilium haberi debat. [24]

Oppo-

[20] *Apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1145. & apud Harduinum tom. 1. pag. 947.*

[21] *Apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1013. & apud Harduinum tom. 2. pag. 774.* : Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam Urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallieis, sub S. Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium, atque Conventum.

[22] *Apud Eusebium lib. 10. Hist. Eccl. cap. 5. pag. 321.* Plurimos ex diversis, ac prope infinitis locis Episcopos in Urbem Arelatensem intra Kalendas Augusti censuimus convenire.

[23] *In Epistola ad Silvestrum Papam de rebus in Synodo gestis:* Cum diversæ sint provinciæ, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, quæ nos censemus observare debere. *Apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 1426. & apud Harduinum pag. 262.*

[24] *Sirmondus, ut est apud Lab. tom. 1. Conc. pag.*

Opponunt quarto, et si non *ex omnibus mundi par-*
ribus congregatum esset Concilium Arelatense, unum
tamen consensum omnium, qui latam ab eo in Do-
naistas sententiam comprobarunt, satis fuisse cur Au-
gustinus illud Plenarium nominaret, quemadmodum
OEcumenicum dictum est Concilium Constantinopoli-
tanum I. [25] ab solis Orientalibus anno 381. cele-
brarum, quod acta ejus rata habuerint Occidentales.

Respondent hi, Concilia *Plenaria* Augustino esse,
quæ sunt ex universo Orbe Christiano, [26] non quæ
rata habet universus Orbis Christianus. Neque Con-
cilio Constantinopolitano I. OEcumenicam auctorita-
tem accessisse ratificatione Occidentalium, sed appro-
batione summorum Pontificum. *Etenim tantum robo-*
ris, & *firmitatis qualibet Synodus consequi solet*, quan-
tum eidem auctoritatis impertit Romana Ecclesia, ipsa
Apostolica Sedes. [27]

Quinto illi objiciunt, S. Basiliūm, qui paulo post
Concilium Nicænum claruit, epistola 99. canonica 2.
ad Amphiliocium can. 47. scribere, plurium Episco-
porum Concilium haberi oportere, ac decerni de ba-
ptismate Encratitarum, Saccophororum, & Apota-
Etitarum, quos ipse rebaptizabat, quamvis *rebaptiza-*
tio prohibita esset apud Romanos alicujus œconomia gra-

F 5

tia.

pag. 1423. & apud Harduinum pag. 262. ita vertit lo-
cum citatum epistolæ Constantini ad Chrestum: Pluri-
mos ex diversis compluribus locis Episcopos in Are-
latensium oppido ad Kalendas Augusti convenire præ-
cepimus.

[25] Libellum legere dignemini, qui superiore
anno (381.) editus est Constantinopoli ab OEcume-
nica Synodo: *Epistola Synodica ejusdem Concilii Con-*
stantinopolitani apud Theodoreum lib. 5. pag. 211.
apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 964. & apud Hardui-
nun tom. 1. pag. 823.

[26] *Vide supra positam annotationem 7.*

[27] Baronius ad an. 381. §. 38. *Vide annotat.*
7. ad S. Damasum I.

[26] Hoc autem numquam scripturum fuisse S. Basilium, si quæstio de baptisinate hæreticorum in Concilio Nicæno, quod ei debuit esse notissimum, dirempta fuisset; neque ad economiam relaturum vetitam a Romanis rebaptizationem, quæ pertinebant ad Fidem, si præcipuus error Donatistarum de *Anabaptismo* a Patribus Nicænis damnatus fuisset.

Hi vero reponunt, *Basilium existimasse Canonem Nicænum de Paulianistis locutum nihil interim statuisse de rebaptizandis aliarum sectarum hæreticis, quos ipse iterum sacris lymphis abluendos putabat.* Etenim Firmitianum Cæsareæ Metropolitam in Synodo sanxisse, omnes hæreticos rebaptizandos: cui cum altero sæculo in eamdem sedem Basilius subrogatus fuisse, inolita Cappadocum consuetudinè mordicus inhærentem, hæreticos ad Catholicam venientes iterum baptizasse. [29]

Ad-

[28] Ecce locum integrum S. Basili tom. 3. pag. 296. & 297. Encratitæ, & Saccophori, & Apotactitæ non subjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani, quia de illis editus est Canon, et si varius: quæ autem ad istos pertinent, silentio suat prætermissa. Nos autem una ratione tales rebaptizamus. Quod si apud vos prohibita est rebaptizatio, sicut & apud Romanos *economia* alicujus gratia, nostra tamen oratio vim obtineat. Quoniam enim veluti germen Marcionistarum est eorum hæresis, ut qui nuptias abhorreant, & vi-num aversentur, ac dicant Dei creaturam inquinatam esse, idecirco ipsos in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum baptisma fuerint baptizati. Etenim ne dicant: In Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum baptizati sumus; qui videlicet Deum esse malorum effectorem existimant, exemplo Marcionis, & reliquarum hæresum. Quamobrem si hoc placuerit, oportet Episcopos plures in unum convenire, & ita demum Canonem edere, ut & is, qui careat, & qui respondet, in dando ejusmodi quæstionibus responsu auctoritatem habeat.

[29] Norisius in Historia Donatistarum part. 1. cap. 10. pag. 182. tom. 4.

Addunt etiam, in Concilio Nicæno approbatum, receptumque baptismata ab hæreticis collatum forma a Christo instituta: quia tamen id haud ita aperte decernitur, sed tantum ex necessaria consecutione colligitur ex can. 8. & 19. ut supra dictum est, ideo fieri potuisse, ut S. Basilus id, quod ex illis canonibus consequens erat, non adverteret, & Ecclesiæ suæ morem de rebaptizandis hæreticis servaret. [30] At perspexisse, quid ex iisdem Canonibus necessario concluderetur, Siricium, qui in epistola ad Himerium Tarraconensem decernens, Arianos non esse iterum baptizandos, nomine *Synodi* simpliciter usurpato designavit Synodus Nicænam, & facta Novatianorum mentione, ejusdem *Synodi* Canonem octavum. [31] Id ipsum vidisse S. Hieronymum, qui extremo Dialogo adversus Luciferianos confirmavit, Nicænos Patres ratum jussisse baptismata omnium hæreticorum, exceptis Paulianistis, quod hi ab Evangelico baptizandi ritu aberrarent. Præterea arguimentum propositum esse αὐτούσια, seu reciprocum, & referri contra, convertique posse in ipsos adversarios. Posito enim atque concessso, Concilium Arelatense illud esse, quod Augustino est *Plenarium totius Orbis, universæ Ecclesiæ, cunctarum gentium*, nullo modo ignotum esse Basilio potuisse, ideoque numquam fuisse futurum, ut idein Basilus ad cœconomiam referret prohibitionem *rebaptizationis*,

[30] S. Basiliū non novisse octavum Concilii Nicæni Canonem, docet Tillemontius annotat. 21. ad Concilium Nicænum pag. 821. tom. 6.

[31] Verba ipsa Siricii Pontificis sunt hæc apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 1018. Prima paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad Fidem Catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle: quod non licet.... Quos nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus. Vide annot. 12. superioris Disputationis.

nis, quæ spectasset ad Fidem, si hæreticorum rebaptizatio in Concilio Plenario totius Orbis, quale fuisse Arelatense contendunt, verita erat.

Præterea illi objiciunt, S. Epiphanium de iis loquentem, qui Arianos iterum baptizabant, asserere, id ab illis factum *citra generalis Concilii decretum*, cuius *judicio ea res decisa* fuerit, [32] non ergo existimasse controversiam de baptismate hæreticorum in Nicæna Synodo finitam. S. Cyrillum quoque Hierosolymitanum, & S. Anastasium, qui Nicæno Concilio interfuit, irrum dicere baptismum ab hæreticis collatum: [33] id vero dictu os non fuisse, si Nicænum Concilium aliter decrevisset.

His

[32] *In Expositione Fidei cap. 13. pag. 1095.* Alii, qui audacieores videntur ex Catholicorum partibus, privata sibi factione conflata, præter Ecclesiæ consuetudinem, ac *citra generalis Concilii decretum*, eos, qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur, cum nondum *ea res*, ut dixi, universalis Synodi judicio decisa sit.

[33] *S. Cyrillus Hierosolymitanus in Procatechesi §. 7. pag. 6.* Non licet bis, aut ter lavacrum suscipere Unus enim Dominus, & una Fides, & unum baptismus. Hæretici namque solummodo rebaptizantur, siquidem prius illud baptismus non erat.

S. Athanasius Orat. 3. contra Arianos §. 42. & 43. pag. 510 tom. I. Isti autem in periculum veniunt (*de baptismino loquor*) integratatis. Nam si in Patris, & Filii nomine initiamur, illi autem verum non pronuntiant Patrem, utpote qui id, quod ex ipso est, ejusque naturæ est simile, negent: cum item verum iidem negant Filium, aliumque nominant, quem ex nihilo creatum esse comminiscuntur: qui fieri potest, ut prorsus vacuus, & inutilis non sit baptismus, qui ab illis (*Arianis*) datur, in quo quidem insit religionis simulatio, sed re vera nihil ad pietatem valeat conferre? Nec enim Aiani in Patris, & Filii nomine dant baptismum, sed in nomine Creatoris, & rei creatæ, effe-

His quoque hi respondent, S. Epiphanium ibi non agere de baptismo hæretorum non iterando, sed tantum dicere, nullam Synodum præcepisse, ut Ariani rebaptizarentur, ac proinde eorum audaciam coargueret, qui Arianos iterum baptizabant, ut faci e parebit expendenti ejusdem S. Epiphanii locum integrum.

[34] S. Cy illum vero Hierosolymitanum vel non loqui de omnibus hæreticis indiscriminatim, sed de iis tantum, qui formam baptismi viciabant, vel singularem hanc fuisse ejus sententiam, sicut etiam Ecclesia Hierosolymitanæ, quod nondum exploratum haberet sensum Canonum Nicenorum. [35] S. Atha-

na-

effectoris, & rei effectæ. Unde quemadmodum res creata alia est a Filio; ita baptismus, quem illi dare putantur, a vero baptismo aliis est, e iam si nomen Patris, & Filii, ut præcipit Scriptura, proferre assimulent. Non enim qui dicit, Domine, ille etiam dat, sed is tantum, qui cum nomine rectam quoque habet fidem... Itaque multæ quoque aliæ hæreses nomina tantum pronuntiant: verum cum rete non sentiant, ut dictum est, nec sanam habeant fidem, inutilis est aqua, quam donant, quippe cui deficit pietas; ita ut quemcunque illi asperserint, impietate fœdetur potius, quam redimatur.

[34] *Mutilum refert Launoius in Dissertat.* De vera notione Plenarii apud Augustinum Concilii extremo cap. 1. Omititur enim nomen Arianorum, ut generatim ac universe de omnibus hæreticis dictum ab Epiphanio videatur, quod speciatim ac nominatim de Arianis dictum est. Operum tom. 2. part. 2. pag. 109.

[35] S. Cyrillum excusat Antonius Augustinus Touree *Dissertat.* 3. ex *Cyrillianis* cap. 8. §. 67. addens ad extrellum, eum opinionem suam correxisse; si non citius, saltem anno 381. cum in Concilio Constantiopolitano una cum cæteris Patribus can. 7. multos ex hæreticis sine baptisinate novo recipi decrevit. Et §. seq. Ecclesiam Hierosolymitanam tempore Cyrilli, ac Cyrillum ipsum, non omnes ad Ecclesiam rever-
ten-

nasium autem irritum quidem habere baptismum Arianorum quoad effectum gratiae in adultis cum coram hæresi communicantibus, & hoc modo illum appellasse *vacuum*, ac *inutilem*, non vero quoad Sacramentum, & characterem, & hoc modo dixisse, Arianos in periculum venire amittendi, non autem amisisse, integratatem baptismi.

Urgent demum illi, S. Augustinum ne novisse quidem Canones Concilii Nicæni: tantum abest, ut illud voce Plenarii Concilii designaverit. Ita enim ipsum scripsisse epist. 115. §. 4. *Adhuc in corpore posito beatæ memoria patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse, nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.* [36]

Respondent hi, quamvis anno Christi 395., quo exente [37] Augustinus Episcopus ordinatus, Valerii in Episcopatu collega factus est, Canonem Concilii Nicæni id vetantis ignoraverit, tamen non ignorasse paulo post, altero videlicet abhinc anno 397. & pristinæ ignorantia atque erroris ipsum pœnituisse. Ea de re testari Possidum in ejus Vita extremo cap.

8.

tentes hæreticos baptizasse: nec probari posse alios ab eis rebaptizatos; præter eos, quos vel Concilia de novo baptizari præcipiunt, vel vitiata saltem quoad sensum baptismatis formula usos esse constat.

[36] Quem *Augustinus* citat Nicænum Canonem, ille fuisse creditur, in cuius fine, cum actum est in eo de Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus, hæc verba leguntur: *Ne in una Civitate duo Episcopi esse probentur.* Sic ibi octavo Canone: quamvis alii velint specialem ea de re constitutionem esse editam, quæ non exstet. *Baronius ad an. 395. §. 32. Vide Petrum de Marca lib. 6. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 8. §. 8.*

[37] *Auctor Vitæ S. Augustini, quæ exstat tom. XI. Operum ejusdem Augustini editionis Monachorum, lib. 4. cap. 1. §. 4. pagi 142.*

8. scribentem. Quod in se postea fieri non debuisse, ut vivo suo Episcopo ordinaretur, & dixit & scripsit, [38] propter Concilii Universalis, nempe Nicæni, veritum, quod jam ordinatus dicit: nec quod sibi fatum esse doluit, aliis fieri voluit. Unde etiam sategit, ut Conciliis constitueretur Episcoporum, ab Ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis omnium statuta Sacerdotum in notitiam e se deferenda. [39] Porro autem constare de his actum anno 397. in Concilio Carthaginensi III. celebrato, Cæsario & Attico Consulibus, in quo hæc tertio Canone ex suggestione S. Augustini, ut Possidius monet, decreta esse leguntur. Item placuit, ut ordinandis Episcopis, vel Clericis prius ab Ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se quid contra statuta Concilii fecisse pœnitieat: sicque solicire cavendum putavit ab aliis, quod ipse nescius deliqueret, [40] antequam scriberet de Baptismo contra Donatistas.

[38] Epistola citata 113. §. 4.

[39] Apud Surium die 28. Augusti, & in Appendix ad Tom. X. Operum. S. Augustini pag. 262. & 263.

[40] Baronius ad an. 395. §. 32. & 33.

DISPUTATIO IX.

De Martyrum multitudine in primævis Christianorum persecutionibus.

Hanc ego disputationem, præeunte Pagio ac Ruhnarto, instituo, Traditioni Ecclesiæ de multitudine Martyrum vindicandæ a calumniis Henrici Dodvelli Protestantis Hiberni, (1) qui dissertatione XI. Cyprianica *De Martyrum paucitate in primævis Christianorum persecutionibus*, ausus est in dubium vertere, quod omnes Catholici tot retro sacerulis pro certo

(1) Tagius ad an. 272. §. 9.

certo habuerunt. (2) Id ut fiat quam brevissime, aliquos primum ex antiquis Patribus testes dabo, deinde decem Ecclesiæ persecutiones citato gradu percurram, quarum vel una tantum ad redundandam adversarii linguam satis esse queat. Primus & antiquissimus testis est S. Justinus Martyr, qui ait *ubi que locorum a Præsidibus sævitum esse in Christianos.* (3) Testis alter est S. Martyr Irenæus, qui lib. 4. adversus hæreses cap. 33. *Ecclesia, inquit, omni in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem Martyrum in omni tempore præmittit ad Parrem, .. saepe debilitata, & statim augens membra, & integrifiens.* Quid Martyrum paucitati magis potest esse contrarium, quam multitudo Martyrum? Testium testimonium contra Dodvvellum dicit Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. pag. 414. in hæc verba: *Nostris sunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur, & capite truncantur. Evidem uberes, imo redundantes Martyrum fontes paucitatem Martyrum significare non possunt.* Origenes vero lib. 2. contra Celsum §. 17. pag. 404. *Multi, inquit, e nostris quamvis probe scirent se, si in confitendo Christianismo præstarent, morituros, contra absolutum iri, & suas facultates recuperatos, si defisterent; tamen despecta vita, volentes mortem pietatis causa occubuerunt.* S. Cyprianus quoque in epistola ad Fortunatum De Exhortatione Martyrii, extremo cap. 11. idem sentire se ostendit his verbis: *Si igitur & nos dicati Deo ac devoti vivimus, si supra justorum antiqua & sancta vestigia iter facimus, per eadem documenta pœnarum, per eadem passionum martyria pergamus, hoc ampliorem gloriam computantes temporis nostri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante postmodum copia virtutis ac fidet Apoc. numerari non possunt Martyres Christiani, testante A-*

VII. 9.

po-

(2) Henrici Dodvelli dissertationes Cyprianicae existant cum Operibus S. Cypriani recognitis & illustratis a Joanne Fello edit. Amstel. an. 1700. in fol.

(3) Principio Apologiae primæ pag. 41.

pocalypsi & dicente: Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poteret. (4) Consentit S. Augustinus in Joan. Evangel. Tract. 113. §. 2. Innumerabilis societas sanctorum Martyrum in Regnum Cælorum fortiter & violenter intravit (5) Quid quod consentit etiam Prudentius? cuius auctoritati ac testimonio necesse est concedat Dodvvellus, qui vel ejus silentium tanti facit, ut eo utatur ad probandam sententiam suam. (6) Testimonium igitur Prudentii hoc est ex Hymno XI. περὶ στεφανῶν de Passione S. Hippolyti Martyris.

Innu-

(4) *Dodvvellus* *dissertat. cit. §. 62.* existimat, non loqui sanctum Martyrem de illorum, qui iam facti essent Martyres, numero: sed potius eorum, qui Evangelii totius temporibus futuri essent. *Falso.* Nam alata S. Cypriani verba, nisi vim adhibeas, de Martyribus futuris intelligi non possunt. *Præterea idem Cyprianus* Martyres innumerabiles jam coronatos admittit etiam extremo libro *De mortali ate* pag. 470. ubi adhortatur Christianos, ut ad cœlestem patriam contendant, quod magnus illic nos carorum numerus expectat.... illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus.

(5) *Idem S. Augustinus* *serm. 300. cap. 2. §. 2.* Martyrum millibus terra purpurata est. *Serm. 314. §. 2.* Impleverunt post Stephanum terram crebra martyria. *Serm. 252. cap. 8. §. 8.* Unus dies passionis Martyrum si computetur, millia hominum inveniuntur coronatorum.

(6) *Ita scribens §. 6. memoratæ dissertationis XI.* Sub hujus (quarti) saeculi finem scriptit περὶ στεφανῶν Prudentius, in *Latinos* etiam *Martyras*, præcipue *Hispanos*, sed & illos etiam paucissimos.

Præterea est hoc magnum & impudens Dodvelli mendacium. Nam Prudentius a Baronio ad ann. 303. §. 105. citatus vere scriptit, teste Pagio ad eumdem an-

Inumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe

Vidimus, o Christi Valeriane sacer

Incisos tumulis titulos, & singula quæris

Nomina? difficile est, ut replicare queam.

Tantos justorum populos furor impius hausit,

Cum coleret patrios Troja Roma Deos.

Pluriima litterulis signata sepulchra loquuntur

Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Sunt & muta tamen tacitas claudentia turbas

Marmorata, quæ solum significant numerum.

Quanta virum jaceant congestis corpora acervis,

Nosse licet, quorum nomina nulla legas. (7)

Quod

num §. 12. innumeram Christianorum multitudinem
in Hispaniis martyrium pertulisse. Versas Prudentii de

Urbe Cæsaraugusta, περὶ οὐτεφ. v. 57. sunt hi:

Sola in occursum numerosores

Martyrum turbas Domino parasti:

Sola, prædives pietate, multa

Luce frueris.

Vix parens orbis populosa Pœni,

Ipsa vix Roma in folio locata,

Te Decus nostrum superare in isto

Munere digna est.

Omnibus portis sacer immolatus

Sanguis exclusit genus invidorum

Dæmonum, & nigras pepulit tenebras

Urbe piata.

Quid vero ex Patrum homiliis, quarum, inquit,
si suppositias a genuinis distinguamus, pauci superer-
runt Martyres, quorum festa celebrarentur, in sua
sententiæ patrocinium colligere possit Dodvellus, sa-
ne non video, nisi prius duo probet: alterum, omnes
ea de re Patrum homilias ad nos usque pertigisse: al-
terum, nullum unquam Martyris festum absque ejus-
modi homilia fuisse celebratum. Ruina. tis Praefat. in
Acta Martyrum pag. 21. & 22.

(7) Sed & Paulinus id ante docuerat De S. Felice
Natal. Carm. 13. pag. 171.

Quod si innumerabilis in Urbe Martyrum copia fuit, quanta fuerit in Orbe toto, per quem rabies Persecutorum grassata est?

Hactenus veteres Patres, nunc Ecclesiæ persecutio-nes attingamus. Nero primus omnium persecutus est Dei servos, (8) quorum multitudo ingens quæstissimi-mis pœnis affecta periit. (9) Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur, & sub eo scribit Brutius plurimos Christianorum fecisse Martyriam. (10) Tanta porro & tam gravis plerisque in locis adversus nostros persecutio tertia sub Trajano sæviebat, ut Plinius secundus inter Provinciarum rectores celeberrimus, motus Martyrum multitudine, ad Principem retulerit (lib. 10. epist 97.) de numero eorum, qui Fidei causa obtruncabantur. (11) Hadriani persecutionem, quam

G 2

alii

Hic Petrus, hic Paulus proceres, hic Martyres omnes,

Quos simus innumeros magna tenet ambitus Urbis. S. Leo ser. 80. in Natali Apost. Petri & Pauli, extremo c. 6. p. 165.: Duo ista præclara divini seminis germi-na in quantam sobolem pullularint, beatorum millia Martyrum protestantur, quæ Apostolicorum æmula triumphorum, Urbem nostram púrpuratis & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diadema-te coronarunt.

(8) Lactantius *De mortibus Persecutorum* cap. 2. pag. 39.

(9) Tacitus *Annal.* lib. 15. cap. 44.

(10) Eusebius *in Chronico ad an. Dom.* 96. pag. 164. & 165.

Idem Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. cap. 17.: Domitianus Neronianæ impietatis, bellique & odii adversus Deum successorem seipsum professus est.

(11) Eusebius *lib. 3. Hist. Eccl. c. 33.* ubi addit, si non palam & publice, locales tamen in aliquor provinciis persecutio-nes exarsisse, & plurimos ex Fidelibus multiplicis martyrii certamen subiisse. *Vel ex hoc*

alii quartam, alii tertiae appendicem faciunt, gravissimam fuisse, scribit S. Hieronymus epistola 70. ad Magnum, simul scribens ab eo postea sedatain, persuadente Quadrato. Cum vero Severus persecutionem quintam adversus Ecclesias excitasset, per omnes quidem ubique locorum Ecclesias ab athletis pro pietate certantibus illustria sunt confecta martyria. (12) Et quidem adeo commota tunc adversus nostros persecutio multorum animos vehementer perturbaverat, ut Judas scriptor coevis decantatum illum Antichristi adventum jam tum imminere existimaverit. (13) Sexta persecutione tribus annis a Maximino commota, (14) non modo Praesules, sed & Clericos Ecclesiarum ab eo vexatos Severus tradit. (15) Septimus, qui vexaret Ecclesiam, exstitit exsecra-

buc uno Eusebii loco refellitur Dodvvellus, qui §. 18. putas in Trajani persecutione Ignatium duntaxat, Zosimum, & Rufum morte in Syria affectos.

Praeterea Polycarpus in epistola ad Philippenses, cuius ille auctoritate nititur, haec haber apud eundem Eusebium lib. 3. Hist. Eccl. extremo cap. 36. Obscro vos omnes, ut pareatis Praepositis vestris, omnemque patientiam exerceatis, quam spectastis non solum in Ignatio, Rufo, ac Zosimo viris beatissimis, sed etiam in aliis civibus atque inquiliinis vestris.

Idem Eusebius in Proemio libri quinti scribit, Antonini Veri tempore, cum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostrós persecutio commotæ esset ex incisione popularium, innumerabiles prope Martyres per universum orbem enitusse.

(12) Eusebins lib. 6. Hist. Eccl. cap. 1. & cap. 2.: Severo annum Imperii deciunum agente, cum persecutionis ardentissimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur.

(13) Apud eundem Eusebium lib. 6. Hist. Eccl. cap. 7.

(14) Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 20. Rufino interprete, inter Auctores Historiæ Ecclesiastice editos Basiliæ 1544. apud Frobenium in fol.

(15) Lib. 2. Historiæ Sacré cap. 32. Baronius ad an. 273. §. 5. Vide annotat. 2. ad S. Pontianum.

crabile animal Decius. Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit. Non multo post Valerianus quoque non dissimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit, & multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. (16) Aurelianus item nonus a Neroni (17) iram Dei crudelibus factis lacepsivit. (18) Tot denique Catholicæ Fidei professores martyrio coronatos Cœlo inseruit decima persecutio anno Christi 304. ab Diocleiano decreta, & per annos decem, menses plus minus quatuor (19) propagata, ut vel inde solum possit Ecclesia de ingenti Martyrum multitudine

G 3

ne

(16) Lactantius *De mortibus Persecutorum* cap. 4.
& 5. pag. 56. & 58.

(17) Orosius lib. 7. *extremo* cap. 22.

(18) Teste Lactantio *de mortibus Persecutorum* cap. 6. pag. 64. Non igitur intentata duntaxat ab Aureliano persecutio, ut vult Dodvellus §. 64. : sed etiam executioni mandata. Id quod indicant etiam verba, quæ e vestigio subjicit Lactantius: Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit, sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Non nihil certasse illum oportet, qui inter pugnæ initia periit. Non itaque ante initium persecutionis, sed antequam persecutionem perficeret, & ad exitum perduceret, Aurelianus decessit. Nondum, addit Lactantius, ad provincias ulteriores cruenta scripta pervenerant, & jam Cœnofurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse jacebat. Quæ cruenta ad ulteriores provincias scripta non pervenerunt, ad citeriores utique propinquiores que pervenisse necesse est.

(19) Lactantius *De mortibus Persecutorum extremo* cap. 48. pag. 294.

Sulpicius Severus lib. 2. cap. 32. : Diocleciano & Maximiniano imperantibus acerbissima persecutio exorta, quæ per decem continuos annos Plebem DEI depopulata est. Id intelligi potest etiam ex *Historia Ecclesiastica* Eusebii lib. 8. cap. 15. Vide Pagum ud an. 314. §. 6. & nostram annotat. i. ad S. Marcellinum.

ne jure ac merito gloriari. Etenim furente Diocletiano omnis sexus & aetatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, at gregatim circumdato igni ambiebantur. Vexabatur universa terra, & præter Gallias ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ (Diocletianus, Maximianus Herculius, & Galerius Maximianus) sæviebant, (20) prorsus ut dici non possit, quot & quantos Christi Martyres in omnibus locis atque Urbibus passim cernere licuerit. (21) Abeat igitur Dodvwellus, & reliquis gravissimis testimoniiis, fidem habeat conjecturis suis, veris scilicet atque perspicuis. Nos secuti Ecclesiæ traditionem solidissimis fundamentis innixam, cœnamus, in Cœlis esse Martyrum innumerabilem populum ob certaminis & passionis victoriam coronatum.

(22)

Reliquum est, ut potiora arguimenta, quæ Dodvwellus attulit pro paucitate Martyrum, excutiamus. Si tot olim, ait §. 5. fuissent, quot putantur Martyres, superessent hodieque e probatis illorum sæculorum monumentis eorum saltem nomina. Etenim ut loquitur

(20) Lactantius De mortibus Persecutorum cap. 15. & 16. pag. 118. & 122.

(21) Eusebius lib. 8. Hist. Eccl. extremo cap. 4. Idem cap. 6.: Tunc etiam Anthimus Ecclesiæ Nicomediensis Episcopus ob confessionem Christi in eadem Urbe capite truncatus est. Huic adjuncta est ingens Martyrum multitudo Alios quoque innumerabiles vincitos & scaphis impositos carnifices in profundum mare projecere... xix jam iniri numerus potest omnium, qui deinceps in singulis provinciis passi sunt, Martyrum, ac præsertim eorum, qui per Africam & Mauriam, per Thebaidem & Ægyptum sunt interfecti. Illic enim, subdit idem Eusebius cap. 8. vii prope innumerabiles cum uxoribus & liberis pro Servatoris nostri doctrina temporalem hanc vitam aspernati, varia mortis genera sustinuerunt.

(22) S. Cyprianus extremo libro De mortalitate pag. 470.

tur idem Dodvwellus §. 3. adeo sedulos fuisse in Martyrum gestis memoriae tradendis veteres, ut nihil illos fere fugerit, discimus ex Cypriano, (23) & Pontio. (24) At Dodvwellus ipse defensionem præbet subjiciens e vestigio: *Nisi in Diocletiani fortasse persecutione, quæ scripta Ecclesiastica exhausta, teste Eusebio lib. 8. cap. 2. illa monumenta perierint.* Et quidem omnes Scripturas in Diocletiane persecutione miserum naufragium fecisse, (25) consentiunt viri doctissimi. Quin etiam ante Diocletiani persecutionem Arnobius extremo lib. 4. adversus Gentes pag. 152. illis exprobrat, quod nostra scripta ignibus darent. Quia item de re conqueritur Prudentius περὶ στεφάνων Hymno I. in honorem Sanctorum Martyrum Erveterii & Chelidonii, quorum martyrii acta Ethnici suppresserant, ne ordinem, tempus, modumque passionis posteri cognoscerent, & ad mortem pro Christo alacriter subeundam excitarentur. Quod igitur paucorum Martyrum nomina legantur in antiquis indubiae fidei monumentis, non ideo est inficiandum fuisse mulitos, qui in primævis Ecclesiæ persecutionibus vitam

G 4

Chri-

(23) Epist. 37. pag. 115. Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.

(24) In Vita S. Cypriani cap. 1. apud Surium ad diem 14. Septembris, & apud Fellum initio Operum S. Cypriani pag. 1. Majores nostri plebeii & catechumenis martyrium consecutis tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederunt, ut de passionibus eorum multa, aut prope dixerim, pene cuncta conscriperint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.

(25) Pagius ad an. 64. §. 3.

Orosius lib. 7. cap. 25.: Diocletiani persecutio per deceim annos incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cædibus Martyrum incessabiliter acta est.

Christo reddiderint : cum non passi gravius Martyres,
quam eorum historiae videantur. (26)

Sed de paucitate primævorum Martyrum subjicit §.
7. Doddvellus, disertissimum habemus Origenis testi-
monium. Pauci, inquit, per intervalla temporum &
facile numerabiles pro Christiana religione mortem
obieunt. Respondeo, Origenem his verbis hoc so-
lum significare, quanvis in Christianos sævitum fue-
rit crudelissime, Christianos tamen omnes deleri non
potuisse, paucosque revera pro Christo morte affectos,
si cum iis comparentur, qui superstites fuerunt : quo-
niam eorum gentem prorsus extingui numquam permisit
Deus. Nimirum id probare Origenes contendit, Chri-
stianos suam seditioni, quod Celsus ajebat, acceptam
non referre originem. Probat autem hac ratione : Ne-
que enim Christiani suam a seditione ducentes originem
Leges admississent ita pacificas, ut propter eas factum
fuerit, ut veluti oves interficerentur, nec per eas lice-
ret de persecutoribus sumere supplicium. Porro Christianos
benignam illam mansuetamque legem conservantes
a persecutoribus tutatus est Dominus, qui tamen, ut
alii vi tendis paucis pro pietate certantibus firmiores sie-
rent, mortemque spernerent, paucos per intervalla tem-
porum & facile numerabiles excitavit ad mortem pro
Christianæ religione obcundam, reserving pluribus,
per quos voluit universam terram salutari illa doctrina
reptiri. (27) Dicit igitur Origenes, paucos pro Christo
obiiisse respectu plurimorum, quos DEUS ex per-
secutionibus ad Christianam doctrinam propagandam
reservavit. Namque Origenem admississe Martyrum
multitudinem certum est ex verbis, quæ ex ejus li-
bro 2. contra Celsum supra recitavimus.

Urget Dodvellus §. 8. primum ajens, Lactantium
De mortibus persecutorum, paucos ante Diocletianum
in eo persecutorum albo recensuisse, Neronem dunta-
xat,

(26) Joannes Fellus in cit. Epist. 37. S. Cypriani,
quæ ipsi est 12. pag. 188.

(27) Contra Celsum lib. 3. §. 7. & 8. pag. 451. &
452.

zat, Domitianum, Decium, Valerianum, atque Aurelianum: deinde negans edictis illis in Christianos sæuisse, ut proinde multi e je nequeant, qui horum Imperatorum auctoritate perierint, & qui illis temporibus martyrium passi sunt, vel Praefectorum provincialium edictis, aut plebi in theatro clamoribus passi intelligantur. At Lactantius, ut patet ex titulo ipso, atque contextu Libri, eos tantum Imperatores recenset, qui ob vexata Ecclesiam, & justos excarnificatos, cœlestibus plagis, & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. (28) Quare Trajano, & Antonini, qui objerant mortem placidam, prætermissis, quinque Imperatores illos tantum commemorat, quos DEUS, Persecutorum Ecclesie sue vindex, morte turpi ac fœda multavit. (29) Neque vero ex solis Im-

G 5

pe-

(28) *Lactantius de mortibus Persecutorum cap. 1. pag. 12.*

(29) Idem Lactantius lib. 5. *Institut. Divin. extremo cap. 11.* hæc habet De Praesidibus Provinciarum: Vidi ego in Bithynia praesidem gladio mirabiliter elatum, tamquam Barbarorum gentem aliquam subegisset, quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus est. Contendunt igitur, ut vincent, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur. Quasi vero mors tantummodo beatos faciat: ac non e iam tormenta, quæ quanto fuerint graviora, tanto majorem virtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci stultitia jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus sanguis ad pœnam. Quid tam piu[m], tan[us] beneficium, tan[us] humanum fieri potest? non curassent tam sollicite, quos amarent. Hæc est Deorum disciplina. Ad hæc opera cultores suos erudiunt; hæc sacra desiderant. Quin etiam scelestissimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam & constitutiones sacrilegæ, & disputationes Jurisperitorum leguntur injustæ. Domitius *De officio Pro-*

con-

peratorum , aut Praefectorum Provincialium edictis , aut plebium in theatro clamoribus sœvitum est in Christianos , sed multo maxime ex præscripto Legum Romanarum , quibus externa , atque aliena religio quælibet vetabatur , (30) ideoque etiam Christiana , quæ & externa erat , & cuilibet religioni alii , tamquam impiæ , atque perversæ , contraria . Itaque Origenes extrema hom. 9. in Librum Josue : Convenerunt , inquit , Reges terræ , Senatus , populusque Romani , ut expugnarent nomen JESU , & Israel simul . Deereverunt enim legibus suis , ut non sint Christiani . (31) Tertullianus quoque in Apologetico adversus Gentes cap. 37. : Quoties , ait , in Christianos deservitis partim animis propriis , partim legibus obsequentes ? His legibus si nova accederent edicta Imperatorum , tunc maxime Christiani vexabantur . Novis tamen Imperatorum edictis opus non fuisse ad Christianos vexandos , constat ex celebri epistola Plinii Secundi ad Trajanum , qua ille cum provinciam regeret , licet nullum esset edictum Trajani , ut contendit Dodvvelius §. 8. damnatis tamen quibusdam Christianis , quibusdam gradu pulsis , ipsa demum multitudine perturbatus , quid de cetero egeret , consuluit Imperatorem . (32) Imperatorum autem edicta adversus Christianos non fuisse rara & pauca , indicat apud Lactantium Donitius , qui librum nefariis hujusmodi scriptis complevit . (33)

Transit hinc Dodvellus ad persecutio[n]es , conaturque eas imminuere , ut copiam Martyrum imminuat . Primam Neronis persecutionem , ait §. 13. non aliorum certe Christianorum illam esse potuisse per-

secu-

consulis libro septimo rescripta nefaria collegit , ut doceret , quibus pœnis affici oportet eos , qui se cultores Dei confiterentur .

(30) Cicero lib. 2. de Legibus cap. 8.

(31) Operum tom. 2. pag. 422.

(32) Tertullianus Apologeticus cap. 2. pag. 3.

(33) Vide supra positam annotat. 29. ubi verba ipsa Lactantii recitantur .

secutionem, quam eorum, qui Romæ versarentur. Si quidem in illos, qui Roma aberant, nulla erat vel species tenuis verisimilis ratio, cur intentaretur Urbis incendium. (34) Sed levis hac ratio, respondet Pagius ad an. 64. §. 4. & 6. Nero quippe, non vero Christiani, auctor incendii, ideoque edictum non tantum ad Christianos Romæ agentes vexandos, sed ad universam sectam per Imperium Romanum abscondam emissum, ut ex his Lactantii lib. de mortibus Persecutorum cap. 2. verbis intelligimus: Cum animadverteret (Nero) non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam damnata vetustate transire, ut erat execrabilis, ac nocens tyrannus, profilivit ad excindendum cœleste templum. Hæc itaque persecutio non localis, sed universalis fuit. Nec refert, quod Tacitus de iis, quæ in Provinciis adversus Christianos gesta, sermonem non habeat; cum Suetonius in Nerone cap. 16. persecutionem ad Urbem Romam non restringat: Affecti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ, inquit Suetonius. His adde Orosium lib. 9. scribentem: Denique omnibus flagitiis suis hoc etiam addidit, (Nero) quod primus Romæ Christianos suppliciis, & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persecutione excruciar impera-

(34) De quo narrat Tacitus lib. 15. Anal. cap. 40. Capite autem 44. persecutionem ita describit, ut plane innuat, quemadmodum Dodvellus ipse §. 13. auctoritate permotus fatetur, plurimos fuisse, qui in ea patuerentur. Igitur primo, inquit, correpti, qui fatabantur, deinde judicio eorum multitudo ingens haud perinde in criminis incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Eam ingentem multitudinem etiam pœnæ fuisse subjectam, innuunt sequentia, in quibus pœnam eorum per noctes pariter, atque dies durasse legimus. Quid quod repressam dicit ea persecutione in præsens exitiabilem, quam appellat, Christianorum superstitionem? quod certe nisi ingenti aliquæ multitudine sublata, fieri non potuit.

peravit. Ipsum quoque nomen extirpare conatus , beatissimos Apostolos Petrum cruci affixit , Paulum capite gladio secuit : quod martyrium anno sequenti contigit , ideoque persecutio , quæ hoc anno Romæ cœpit , intra illud tempus in alias provincias propagata ^{Sc.} Denique cum , Salvicio Severo lib. 2. Hist. Augustino lib. 20. De Civitate DEI cap. 16. & Lactantio lib. De mortibus Persecutorum cap. 2. testibus , Fideles olim existimaverint , Neronem Antichristum in fine mundi futurum ob persecutiones , quarum ipse initium fecit ; liquet , eum non tantum in Romanos , sed etiam in alios aliarum regionum Christianos furorem suum exercuisse : quod eo magis certum , quod post Domitianum secundum Ecclesiæ persecutorem , Imperatores , qui Christianos exterminare voluere , nova plerumque edicta aduersus eos non emiserint , sed ea Neronis ac Domitiani vim habere præcepérint , ut inter omnes convenit .

Secundam persecutionem excitatam a Domitiano adeo brevem fuisse vult Dodvwellus §. 16. ut vix unum annum implere potuerit. Afferit enim ex Brutii verbis apud Eusebium lib. 3. Hist. Eccl. cap. 18. Christianos non nisi anno Christi 95. a Domitiano vexatos : quia videlicet ejus Principatus anno quinto decimo , qui eidem anno Christi 95. respondet , Flavia Domitilla Flavii Clementis tunc Consulis ex sorore neptis , ob confessionem Christi in insulam Pontiam deportata est , & anno insequente die 18. Septembribus occisus Domitianus , cum anno superiore die 13. ejusdem mensis Tribunitiam potestatem iniisset. Addit ex Tertulliano , Domitianum ne ad cruciatus quidem progressum esse , nedum ad cædem. Sic enim ille scribit Apologetici cap. 5. Tentaverat & Domitianus , portio Neronis de crudelitate , sed qua & homo , facile cœptum repressit , restitutis etiam , quos relegaverat. Tentavit itaque duntaxat , non item Cœsariano , quod fecit Nero , gladio ferociit. Sed non a sentitur Pagius ad an. 90. §. 6. & 7. quia ideo Brutius , cuius liber periiit , persecutionem cum anno XV.

Domitianus junxit, quia tunc maxime gravata est, ipseque Flavius Clemens vix deposito Consulatu ordinato occisus, & Domitilla ejus nepis in insulam Pontiam deportata. Quae, utpote magis illustria, a Brutio anno Domitianus XV. quo accidere, consignata. Ex quo male infertur, Domitianum ante in Christianos non servuisse; praesertim cum Hieronymus tradat, Joannem Evangelistam anno Domitianus XIV. in oleum igneum conjectum esse. (35) Quia vero persecutio Domitianea Neroniana minor fuit, de ea loquitur Tertullianus quasi prioris tantum adumbratio fuisset, non quod multi occisi non fuerint, sed quod non tanta adversus eos crudelitas exercita. Quod si Tertullianus de relegatis tantum loquitur, factum id, quia eosdem Domitianus ante mortem restituit. Præterea Domitianus, ut est apud Baronium ad an. 93. §. 3., ab Ethniciis Nero appellatus est, Nerone saevior a Tacito, portio Neronis a Tertulliano ob cædes nimirum ejus jussu factas; adeo falsum est, excitatam ab eo persecutionem cruentam non fuisse. (36)

Quartam persecutionem, quæ sub Adriano saevissime dicitur, ita oppugnat Dodwellus §. 28. Antonino Pio ut pacem Christianis impetraret, Hadriani nomine usus est, qui vixit sub Adriano S. Justinus Martyr: qua fronte usurpus, si & ipse fuisset persecutus.

Nimirum Adriani nomine usus est Justinus Antonino Christianis propitiando, non quod Hadrianus Christianos numquam infectatus esset, sed quod eos numquam damnasset sine inquisitione diligent, & haud servatis judicii legibus. Siquidem resert Justinus, Imperatorum Hadrianum acceptis a viro clarissimo Serenio Gra-

(35.) *De Viris illustribus cap. 9. tom. 2. pag. 831.*
 & *in Martha cap. 22. tom. 7. pag. 156.*

Chronicon Paschale pag. 200. edit. Venetæ: Narrat Brutius multos Christianos circa hunc XIV. Domitianus annuin martyrio fuisse sublatos.

(36.) *Vide eundem Baronium ad an. 93. §. 3. & 4.*
ad an. 94. §. 7. & ad an. 98. §. 4.

Graniano Proconsule litteris, quibus monebat, iniquum videri, Christianos nullo objecto criminis, tumultuosis vulgi clamoribus gratificandi studio, indicta causa occidere; rescripsisse Minutio Fundano Asiae Proconsuli, ne quis postbac sine objectu criminis, & legitima accusacione condemnaretur. (37) Quæ Eusebii verba indicia sunt persecutionis ardoris, quod negat Dodvellus §. 31. Ad hæc Justinus agens de conversione sua, quam contigisse Hadriano Imperatore certum est, dicit se Christo nomen dedisse, quod audiret, calumniose Christianos deferri, intrepide autem ad mortem & ailia, quæ terribilia esse censemur omnia, adire consipicret. (38) Ex quibus colligitur, etiam sub Hadriano Martyres claruisse.

Quinta sæviente persecutione tantam non fuisse, quantam innuit Eusebius, Martyrum multitudinem, ex ipsa Eusebii historia colligit Dodvellus §. 43. Nec enim multos ille recensuit, nec vero admodum multos significat a se prætermisso. Concedo, Eusebium haud multos Martyres recensuisse, nego autem, eundem significare, non admodum multos ab se esse prætermisso. Primum verum est, aquia primarios tantum Martyres nominavit, cum ad ejus tunc institutum non pertineret de omnibus singillatim Christianis in hac persecutione interfectis narrare. Num collectionem de Martyribus sejunctim ab Historia composuisse, manifeste liquet tum ex lib. 4. cap. 14. ubi de S. Ponio lectorem plura cupientem ad proprium Opus De Veterum Martyriis delegat: tum lib. 5. c. 21., ubi de Apollo- nio Senatore agit, qui capitali judicio a Senatu damnatus fuerat. (39) Alterum est falsum, quia Eusebius, cuius verba superius posita sunt, aperte tradit, per omnes ubique locorum Ecclesias illustria esse confecta martyria, & innumerabiles martyrio coronatos. Cum Eusebio facit Auctor Chronicæ Paschalis seu Al-

xan-

(37) Eusebius lib. 4. Hist. Eccl. cap. 8. pag. 99.

(38) Apologia 1. pag. 50.

(39) Florentinus in Admonitionibus præviis ad Martyrologium Hieronymianum admonitione 3. pag. 11.

Xandrini pag. 213. Severus dum Alexandriæ moratur, contra Christianos persecutionem excitavit, in qua complures ex Alexandria, Ægypto & Augustanica, atque adeo usque ad Thebaïdem pro Christo martyrium subiere. (40)

Intentaram duntaxat ab Aureliano persecutionem, non item executioni mandatam, statuit Dodvellus §. 64. quia id satis manifeste indicant Scriptores illis temporibus proximi, Laetantius (41) & Eusebius. Hic enim ita loquitur de Aureliano in extreimo cap. 30. libri 7. Historiæ Ecclesiastice: Processu vero temporis aliter de nobis sentiens, quorundam consiliis cœpit impelli, ut persecutionem adversus nostros commoveret. Jamque ea de re multus ubique rumor spargebatur. Sed eum paratum jam, & compositis contra nos edictis, ut ita dixerim subscribentem ultra est divina justitia, quasi constricto cubitu conatum ejus reprimens, simulque omnibus apertissime ostendens, nihil umquam hujus mundi Principibus adversus Christi Ecclesias licere, nisi propugnatrix Dei dextera arcano quodam, ac cœlesti judicio ad castigationem & emendationem nostram, quibus ipsi visum est temporibus id fieri permiserit. Ex his ita colligit Dodvellus: Nondum igitur persecutionem excitaverat, vixdum etiam subscriperat edictis, cum a Deo punitus est. Verum Eusebius, ut est apud Pagium ad an. 272. §. 7., non negat, persecutionem ab Aureliano reapse excitatam: sed per exaggerationem, & oratorie loquitur, ut saepe in sua Historia, & Vita Constantini, ideoque in Historia non retractat, quod jam in Chronico scri-

(40) Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. Francorum cap. 27. pag. 22.: Veniente persecutione talia ibidem Diabolus bella per tyrannum exercuit, & tanta ibi multitudo Christianorum ob confessionem Dominici nominis est jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano: quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus.

(41) Vide annotationem 18. pag. 90.

Scriperat. ^{Prante.} 42) Eum rhetorice locutum duo demonstrare.
 Primum edictis ut ita dixerim subscriptentem ultra est
 divina justitia. Nota hæc verba, ut ita dixerim. Se-
 cundum quasi consticto cubiculo conatum ejus repræ-
 mens, ex versione Valesii. Quare Eusebius contrarius
 non est Lactantio, qui prodit persecutionis decretum re-
 ipsa emissum fuisse, sed antequam ad ulteriores I. perii
 provincias perlatum esset, Aurelianum interisse. Ipse
 Eusebius nobis conservavit orationem Constantini Magni
 ad Sanctorum catum, ubi hic Imperator in cap. 24.
 quod inscribitur: De Decii, Valeriani, & Aureliani
 calamitoso vitæ exitu ob persecutionem Ecclesiarum,
 Aurelianum ita alloquitur: Tu etiam, Aureliane, o-
 mnium scelerum incentivum, cum in Thraciam quasi
 aperto Marte, & insanæ mens impeuferebatis, in
 media via cæsus, orbitas in via impressas impio cruento
 complevisti. Quod si minas tantum Aurelianus inten-
 tasset, nullumque Christianum sanguinem fudisset, eum
 inter saeviores Ecclesiæ persecutores Constantinus non
 recensuisset. Quare Eusebio in mentem venire non po-
 zuit, ab Aureliano nullam reapse persecutionem excita-
 tam esse.

42) Ad an. Domini 278. pag. 280.: Aurelianus
 cum adversum nos persecutionem movisset (non inten-
 tasset, aut comminatus esset) fulmen juxta eum, comi-
 tesque ejus ruit, ac non multo post inter Constantino-
 polim, & Heracliam in Cenophirurio viæ veteris occi-
 dirur. Objicit Doduvelius §. 64., Hieronymum hujus
 Chronici interpretem male mente Eusebii quæsivisse po-
 tius in Chronico, quam in Historia. A: ipse Doduvel-
 ius supra §. 36. agens de Marci Aurelii persecuzione
 Chronico potius accedit, quam Historiae Eusebii.

S. Augustinus De Civitate Dei lib. 18. cap. 52.: Ab
 Aureliano nonam persecutionem computant. Quam
 numerandi rationem inire haud pertuerunt, si nihil cru-
 delitatis Aurelianus adhibuit in Christianos. Vide Pa-
 gium ad an. 272. §. 8. & seqq.

DISPUTATIO X.

De Azymo Latinorum.

Intricatissimam de Azymo Latinorum disputationem, quæ viros magnos traxit in diversa, aggredior, facem præferentibus Francisco Macedo, (2) & Honorato S. Maria. (3) Horum ego vestigiis insistens connitor suadere, Latinam Ecclesiam azymo pane ad Eucharistiam conficiendam ex Apostolica Traditione semper usam esse. Quod antequam facio, illud pro certo pono, quod adversarii ipsi concedunt, atque confirmant, Latinos post sæculum VIII. aut IX. panem azymum, fermentato abjecto, consecrare cœpisse, & post sæculum X. saltem aut XI. hoc est post tempora Michaelis Cerularii ritum consecrandi panis azymi in Ecclesia Latina fuisse communem. Hoc igitur posito, atque con-

(1) Sirmondus in *Disquisitione de Azymo edita anno 1651. cap. 2. & 3. Operum variorum tom. 4. pag. 354. & 355.* docet, Latinam Ecclesiam usque ad annum Christi 693. ac ducentis quoque post annis azymis abstinuisse, & azymorum initium apud Latinos ad intervallum illud refert, quod Photium inter & Cerularium, hoc est ab anno Æra Christianæ 867. ad 1054. intercessit.

Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 15. : Valde probabile, & credibile fit, maiores nostros octo saltem vel novem prioribus sæculis nullum posuisse discrimen inter azymum, & fermentatum: sed pro diversa locorum & temporum occasione alterutrum indifferenter obtinuisse.

Auctores, qui hanc quæstionem tractarunt in partem utramque colligunt Cajetanus Maria Meratus, qui Gavanti Thesaurum sacrorum rituum eruditissime illustravit, tom. 1. part. 1. pag. 30. §. 13. edit. Rom. 1736. in 4.

(2) In *Disquisitione Theologica De ritu azymi, & fermentati edita Veronæ 1674. in 4.*

(3) *Reflexions sur les Regles & sur l' usage de la Critique tome second. livre 4. Dissertat. 4.*

concessō , fac ritum illum non esse ab Apostolica Traditione , undenam ortum traxisse dixeris , nisi aut ab lege aliqua Ecclesiastica , quæ jussit fermentatum alegari , & azymum recipi , aut ab communi Ecclesiæ consensu , aut ab consuetudine sensim approbata , atque recepta ? Neque enim aliter , si Traditionem exceptias , ulla Ecclesiæ disciplina , ritus ullus ac mos induci potest , sive is ad materiam , sive ad ministracionem Sacramentorum pertineat . Lege lata inducū morem hunc fuisse respondes ? At omnes Ecclesiasticas leges ante saeculum XII. sanctitas percurrenti , omnia Pontificium , & Conciliorum decretā exutienti nihil hujusmodi apparer . Communi consensu receptum vis ? Miror profecto , quonam pacto fieri potuerit , ut omnes peculiares Ecclesiæ sua sponte & consensu unanimi simul cum Ecclesia Romana novum morem amplecterentur , ritumque a majoribus acceptum , & quotidiana consuetudine usurpatum dimitterent sine ulla alicujus Episcopi contradictione , sine ullo motu populorum , ac tumultu . *Ipsa quippe mutatio consuetudinis , etiam quæ adjuvat utilitate , novitate perturbat.*

(4) Sensim inventum autumas ? At spatiū temporis immensum huic in omnes Occidentis Ecclesiæ propagationi concedas necesse est . Quam vero Ecclesiæ aliis exemplum ad imitandum proponis ? Num Romanam ? Num Gallicanam ? num Hispanicam ? num Anglicanam ? num Germanicam ? Quenam sunt rei hujus probationes ? quæ testimonia , quæ conjecturæ ?

Quid si concedamus , fermentato pane aliqua ex his rationibus alegato , azymum in usu esse cœpisse ? Nonne hujus mutationis caussam afferamus , oportet ? compertum ne postea est latinis , fermentati consecrationem ea habere incommoda , quæ numquam ab Græcis cognita fuerint ? Unde igitur factum dicamus , ut Latini fermentatum abjecerint , non item Græci ? Restat ergo , ut Occidentalis Ecclesia usque ad saeculum

(4) S. Augustinus epist. 54. alias 118. cap. 5.
§. 6.

Ium VIII. ac deinceps azymo ad Eucharistiam conficiendam semper usā fuerit secundum Traditionem ab Apostolis acceptam. (5)

Hujus & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expositiles Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & Fides observatrix. (6) Itaque stabiliendæ Apostolice Traditioni, juxta quam Latina Ecclesia azynum pannem consecrat, conjecturis opus est. Admodum probabilem suppeditat S. Augustinus lib. 4. De bapt. contra Donatistas cap. 24.: *Quod universa tenet Ecclesia, inquit, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Et lib. 5. cap. 23.: *sunt multa, subdit, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiuntur.* Ve-

H 2

rum

(5) Duo sunt genera Traditionum Apostolicarum. Aliae ad Fidem pertinent, aliae ad mores, & disciplinam. Ille ex ipsis Christi ore ab Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ut ait Synodus Tridentina sess. 4. Haec vero in Ecclesiam inductæ ab eisdem Apostolis tamquam Pastoribus & Episcopis. Ex his nonnullæ ad quoddam tempus servatae sunt, ut trina immersio in baptismate, abstinentia a sanguine, & suffocatis: aliquæ perpetuæ fuerunt, & numquam intermissæ, cujusmodi est mos infundendi parum aquæ in Calicem, Dominica Traditione dictus ab S. Cypriano epist. 63. pag. 225. institutio Festorum, de quibus minuit S. Augustinus epist. 54. cap. 1. & alia generis ejusdem spectantia ad Sacramentorum administrationem, & sacrosanctum Missæ Sacrificium. Atque in harum Traditionum numero collocanda est Traditione consecrandi, quæ in occidentali Ecclesia tota ad hanc usque diem servatur.

(6) Tertullianus De Corona cap. 4. pag. 102.

Origenes Hom. 5. in Numeros tom. 2. pag. 284.: In Ecclesiasticis observationibus sunt nonnulla hujusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet.

rum quidem est, Ecclesiam Latinam non constitueret Ecclesiam universam: attamen cum azymi usus post saeculum VIII. & IX. Ecclesia Occidentali universae communis fuerit, nullumque reperiatur Pontificis, aut Concilii decretum de usu azymi, ex Augustini regula conficitur, institutum Eucharistiae ex azymis confiendae ab Apostolis emanasse.

Haud minoris momenti conjectura alia suppetit ex S. Irenaeo lib. 3. adversus haereses cap. 3. Hic tradit, quotiescumque sanctus mos aliquis communiter servatur in Ecclesia fundata ab Apostolis, quorum successores legitimi serie numquam interrupta nibil tale docuerunt, tradit, inquam, pro certo habendum esse, morem illum in Ecclesia ea constanter, ac perpetuo obtinuisse, nec esse nisi ex Apostolica Traditione repetendum. Quare successione Episcoporum legitima non Romae solum, sed etiam Antiochiae, Alexandriæ, Hierosolymis, Ephesi, & alibi perseverante, cum quereretur, num alicujus moris principium natum esset ab Apostolis, qualis esset harum Ecclesiarum consuetudo ac disciplina, diligenter exquiri consuevit. Ob id Theodosius Imperator l. 1. C. De sum. Trinit. & Fide Catholica, jussit cunctos populos ditionis sue amplecti religionem, quam profiteretur Damasus Pontifex Romæ, & Petrus Patriarcha Alexandriae: quoniam Antistites erant Ecclesiarum, quæ locum principem inter Ecclesias institutas ab Apostolis obtinebant. Cum igitur saeculi XI. & VIII. scriptores, quorum testimonia paulo post recitabimus, aperte afferant, Ecclesiam Romanam tunc temporis panem azynum ex Traditione Apostolica consecrasse, nec designari queat Pontifex, qui morem hujusmodi induxit, nec legitima Episcoporum Romanorum successio umquam desierit; nullus, nisi me fallit Irenæi doctrina, relinquitur dubitandi locus, quin azymi consecrandi usus, ab Ecclesia Romana religiosissime servatus, ab Apostolis profluxerit.

Ab Ecclesia autem Romana ad alias totius Occidentis Ecclesias morem azyini consecrandi permanasse, haud equidein ambigam: *cum sit manifestum, in omnem Italianam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesiastis, nisi eos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes:* (7) quos id ubique de materia conficiendi Eucharistiam docuisse credendum est, quod Romana Ecclesia observare consueverat.

Hactenus allatas conjecturas roborant testimonia Scriptorum, qui ante annum Ærae Christianæ 867. moruerunt, post quem annum duntaxat Latinos azymis uti cœpisse, adversarii contendunt. Alcuinus, qui anno 804. mortuus est, hæc habet epist. 69. ad Lugdunenses: *Audivimus aliquos in illis partibus (Hispaniae) affirmare salem esse in Sacrificium corporis Christi immittendum. Quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas.* Tria sunt, quæ in Sacrificio hujus testimonii offerenda sunt, panis, aqua & vinum.... Panis, qui in Christi Corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus... ex aqua & farina panis fit, qui consecratur in Corpus Christi. Neque minus aperta & clara sunt verba Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntini, qui Alcuinum præceptorem habuit, & anno 856. obiit. Libro enim De institutione Clericorum, quem edidit anno 819. cap. 31.: *Panem fermentatum, ait, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sanctificari oportet... Credimus & panem illum, quem primum Dominus in cena mystica in mysterium sui Corporis consecravit, fermentatum esse.* Et cap. 33.: *Iustum ergo ordinem ab Apostolis & Apostolicis Viris traditum Romana tenet Ecclesia, & per totum pene Occidentem omnes Ecclesiae eamdem traditionem servant.*

(7) Innocentius I. epist. 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1245.

(8) His adde Leonem IX. quo gerente Potificatum, Michael Cerularius Photiano schismate renovato (9) in Latinam Ecclesiam debacchari cœpit, eique inter cætera illud etiam vitio vertere omnium primus non dubitavit, quod pane azymo, minime apta, ut ipse temere ajebat, materia uteretur. (10) Sanctissimus itaque Pontifex epist. 1. ad Cerularium & Leonem Acridanum cap. 5. scribit in hunc modum: *Ecce jam post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romanæ Ecclesia, qualiter memoria passionis ejusdem sit recolenda, quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, seu qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius DEI vivi dixit: Beatus es, Simon Bariona, &c.* Capite autem 20. ita subjungit: *Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, & Latinos vere Catholicos atque maxime Petri familiares discipulos, institutionis ejus devotiores sectatores cessate subsannando azymitas vocare.* (11) Cum Leone IX. sentit Humbertus Car-

di-

(8) Neque dici potest, Rabani testimonium valere solum pro Germania, in qua receptus erat eo tempore azymorum usus. Rabanus siquidem in præfatione istius operis pollicetur auctum se *De Officio Missæ secundum morem Romanæ Ecclesiæ*. Mabillonius Dif-
fert. *Le Azymo & Fermentato* cap. 9. ad calcem Ana-
lectorum pag. 543.

(9) Vide annotationem 4. ad Nicolaum I.

(10) In Epistola ad Joannem Tranensem in Apulia Antistitem anno 1053. scripta suo & Leonis Acridani Archiepiscopi nomine: item in epistola anno in sequente ad Petrum Patriarcham Antiochenum missa. Utique est in Annalibus Baronii: prima ad an. 1053. §. 23. al-
tera ad an. 1054. §. 28.

(11) *Apud Labbeum* tom. 9. Conc. pag. 952. &
961. Et Epist. 6. ad Michaelem Cerularium apud eum-
dem Labbeum pag. 979.: Illud autem quis non stu-
peat, quod post tot Santos & orthodoxos Patres per
mil-

dinalis Silvæ Candidæ Episcopus ejus æqualis in Respon-
sione ad Nicetam Pectoratum, (12) ubi azymorum
usum in Ecclesia Latina vocat Traditionem Apostolicæ
Sedis. (13)

Neque est cur quispiam opponat, Scriptores istos
esse recentiores, quam ut in re adeo incerta ac di-
lici quidquam ponderis & auctoritatis habere queant.
Recentiores enim sunt, si cum temporibus Apostolo-
rum conferantur, non autem si ad sæculum decimum
respicias, quo potissimum azyma invaluisse, adversarii
confirmant. Leo IX. certe, qui sæculo X. natus,
medio circiter sæculo XI. scripsit, suorum temporum
morem ignorare nullo modo potuit: ac proinde si
sæculo tantum decimo azyma usurpari cœpissent, per
mille & viginti a Christi morte annos adhiberi so-
lita, nullo modo tradidisset.

H 4

Sed

mille & viginti a passione Salvatoris annos novus ca-
lumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathemati-
zans omnes, & publicam persecutionem excitans in
eos, quicumque participarentur Sacramentorum ex
azymis.

(12) Exstat in Bibliotheca Patrum tom. 18. pag.
412. & in Henrici Canistii Lectionibus Antiquis tom.
3. pag. 318.

(13) Quare deceptus est Sirmondus in Disquisitione
De azymo cap. 3. scribens, nec Leonem unquam vel
Humbertum, cum azymorum caussam agerent, ista
se perpetui moris præscriptione defendisse.

Leoni IX. & Humberto Cardinale suffragantur Al-
gerus lib. 2. De Sacramento Corporis & Sanguinis Do-
mini extremo cap. 10. tom. 21. Bibliot. Patr. pag. 284.
Omnis autem Ecclesia præter Græcam (hanc excipit,
quia ætate sua fermentata jam utebatur) a primor-
dio sui, ex Traditione Principum Ecclesiæ, Petri
scilicet & Pauli, azymis celebravit. Hugo Eterianus
lib. 2. De heresibus, quas in Latinos Græci devol-
vunt, cap. 17. tom. 22. Bibl. Patr. pag. 1231.: Lat-
inorum sancta Ecclesia æternaliter azyma offert, & im-
molar.

Sed argumenta, quæ nos arctius urgent, excitiamus, Christiani olim panem offerebant in Missa Sacerdote consecrandum, ut postea de eo participes fierent sacram sumentes Eucharistiam. Patet id ex S. Cypriano divitem Matronam his verbis increpante: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obrulit, sumis?* (14) Quis vero credit, omnes etiam pauperes panem azymum obtulisse?

Argumentum hoc, quod prima fronte videtur firmissimum, antiquam Ecclesiarum disciplinam consideranti non tanti roboris est. Namque in supra citato loco S. Cypriani apparet oblatio duplex, altera consecranda in Corpus Christi, altera benedicenda ad usum pauperum, ut indicant ista, quæ corbonam omnino non respicis. Quare ut demonstraret amplius divitis avaritiam, non tantum ei exprobaret, quod nihil mittat in corbonam ad usum pauperum, sed etiam quod de oblatione pauperis communicet. (15) Præterea quid vetat, quominus creditur azymus fuisse panis a Fidelibus ad Eucharistiam conficiendam oblatus? Num quod ab ipsis confectus esset? ut patet ex facto illius Matronæ, quæ sacram Eucharistiam a S. Gregorio Pontifice jamjam acceptura, subrisisse dicitur, quia panem, quem propriis manibus fecisse cognoverat, ille Corpus Dominicum perhiberet? (16) Nihil sane minus. Fieri enim optime potuit, ut Fideles ex Ecclesiarum præscripto & consuetudine obtulerint azymum, qui facilius confici ac parari potest, quam fermentatus, quemadmodum obuulerunt post schisma Photianum, cum azymus ex omnium consensu in Ecclesia Latina consecrabatur.

Ne-

(14) In Libro De Operæ & eleemosynis pag. 482.

(15) Hugo Menardus in Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ, Operum ejusdem S. Gregorii tom. 3. pag. 564.

(16) Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii Pa-
pæ I. lib. 2. cap. 41. Operum ejusdem S. Gregorii tom.
4. pag. 58.

Neque vero datum responsum infirmat S. Ambrosius, qui lib. 4. De Sacramentis cap. 4. panem ad rem divinam faciendam adhiberi solitum panis *usitat* nominе appellat. Tu forte dicas, inquit, meus est panis usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane sit Caro Christi. Etenim S. Ambrosius, seu alias Auctor librorum, qui de Sacramentis inscribuntur, (17) panem consecrandum dicit *usitatum*, non quatenus pani azymo, sed quatenus pani jam consecrato, & Corpori Christi opponitur: vel prout opponitur conversioni illi admirabili, quæ fit vi consecrationis, ut fert obvius verborum sensus. Deinde ego quidem non video, cur panis azymus dici non possit usitatus & communis, cum ex eadem constet materia, ac fermentatus. Eo certe vocabulo usus est Rupertus lib. 3. De operibus Spiritus Sancti cap. 21.: ubi de azymo a Christo Dominino in cœna ultima consecrato ita scribit: Panem communem accepit, sed benedicendo longe aliud, quam fuerat, transmutavit. Sed ut difficultas magis resolvatur, adverte neophyti mysteria sacra, quæ sibi prius ignota fuerant, primum aspicientis hæc verba esse: Meus panis est usitatus: proindeque ipsis non alium legitimum sensum tribui posse præter illum: Oculi mei hoc mihi renunciant, talem hunc esse panem, quali quotidie vicitio, non autem aliud. Etenim ab eone, an ab alio fuerit oblatus, non hic agitur, nec primo conspectu distinguitur, fermentatus azymusne panis sit. (18)

Præterea admiror, Fermentati defensores ad confirmandam sententiam suam afferre caput 6. Concilii Toletani XVI. celebrati Æra 731. seu anno Christi 693. Ejus hæc verba sunt: *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum partim nescientia impliciti,*

H 5

par-

(17) Bona l. i. Rer. Liturg. c. 7. §. 4. & Calmet. 2. 7. p. LXV.

(18) Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in citatum locum S. Ambrosii.

partim temerario ausu provocati, non panes mundos & studio præparatos supra mensam Domini in Sacrificio offerant: sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum per p. n. ditur: & paucis interjectis: Unde temeritatis hujus atque nescientiae cupientes terminum ponere, id unanimitatæ nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat.

(19).

Quis ista legens non statim videt, Presbyteros illos non reprehendi propter qualitatem materiæ, quam offerebant, sed propter minus accuratam diligentiam, qua eamdem Sacrificii materiam, panem videlicet consecrandum parabant, ac proinde eos pane uti consuevisse, quem Ecclesiastica consuetudo postulabat? Quod si concilium non dicit, panem illum fuisse azymum, nec fermentatum fuisse assertit. Quamquam azymo magis, quam fermentato citati capit is verba convenire videntur. Quid enim aliud est panis integer, nitidus, studio præparatus, & modica tantum oblata, nisi panis azymus? (20) Sed esto, quidam Sacerdotes in Hispania fermentato pane ad Sacrum faciendum ex ignoratione, seu perversitate usi fuerint. Quid tum postea? Num inde recte colligas, omnem Latinam Ecclesiam id temporis eundem ritum servasse? Minime vero gentium. Ex facto enim aliquo peculiari ad universale concludendum

(19) Apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1341.

(20) Synodi Toletanæ Patres non potuerunt apertius ob oculos ponere azymum panem, quam describendo eo modo, quem supra exposui. Mabillonius Disserrat. De azymo & fermentato extremo cap. 8. pag. 541.

dum non recte descendit, nescit nemo, qui dialecticas institutiones attigerit.

Nec majoris ponderis est silentium Photii, qui inter ea, quæ obiicit Latinis, nullam facit de azymo mentionem, facturus sine dubio, si azymorum usus ejus ætate in Ecclesia Latina obtinuisse. Idcirco enim Photius azymorum usum Latinis non exprobavit, quod postea fecit Cerularius, quia pro certo habebat, eos azymis uti exemplo Christi, quam fuisse etiam S. Joannis Chrysostomi & Græcæ Ecclesiæ sententiam profitetur. Nam in Bibliotheca Cod. 116. pag. 294. Auctoris incerti *De sacro Paschæ festo volumen III.* recensens & expendens ita loquitur: *Refert idem secundum alios παροιας αυτæ præsentiae suæ annos, Christum Dominum ac Deum nostrum lege præscriptum Pascha celebrasse, non item eo, quo proditus est. Quod consideratione sane dignum, cum Chrysostomus & Ecclesia tunc ipsum doceant, legitimum Pascha perfecisse, antequam mysticam institueret cœnam.* Cum igitur Photius fateatur, Christum celebrasse Pascha legitimum, hoc est diebus azymorum, non est, cur quispiam miretur, eum non reprehendisse Latinos, quod sequentes exemplum Christi azymum consecrarent. Deinde Photius alia multa omisit, quæ postea Græci tempore Leonis IX. Latinis exprobarunt. Denique argumentum petitum a silentio nihil prorsus efficit adversus certa & expressa scriptorum testimonia, quibus probavimus, usum azymorum apud Latinos etiam ante Photium fuisse communem. (21)

Perperam demum Fermentati defensores sibi præsidium quærunt ex decretis summorum Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii I. Melchiades cavit, referente Auctore Libri Pontificalis in ejus Vita, *ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Sircius autem, ut est apud eundem Scriptorem, con-

sti-

(21) Vide Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23.
§. 15.

stituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret, per omnem
hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati su-
sciperet declaratum, quod non in natura fermentum. Inno-
centii decretum est in ejus epistola ad Decentium
cap. 5.: De fermento vero, quod die Dominica per ti-
zulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum o-
mnes Ecclesiae nostrae intra Civitatem sint constituta, qua-
rum Presbyteri, qui die ipsa propter plebem sibi creditam
nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum a no-
bis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra com-
munione, maxime illa die non judicent separaros. Quod
per Parochias fieri debere non puto, quia nec longe por-
tanda sunt Sacra menta, nec nos per Cœmeteria diversa
constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum
conficiendorum jus habent atque licentiam. (22) Per-
peram inquam, ex his Romanorum Pontificum De-
cretis usus azymi apud Latinos oppugnatur. Adeo
enim obscura sunt, abstrusa, ambigua atque implica-
ta, ut nihil certi elici inde posse videatur. Hinc il-
la non uno, eodemque sensu ab omnibus accipiun-
tur, sed aliter atque aliter explicantur, quod haud ita
facile intelligi queat, quid Pontifices Fermenti no-
mine significare voluerint. Sirmondus, tametsi locus
pro Fermenti usu, quem probare conatur, facere vi-
detur, Eucharistiam vult fermentum ex eo dictam,
non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa quo-
cumque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur,
Fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vin-
culum esset, sicut fermentum massæ, cui commisetur:
O Sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vin-
culum caritatis! ait Augustinus in Joannem tract. 27.
Quod ergo illi nomen congruentius potuit imponi, quam
ut fermentum dicereetur? (23) Mabillonio, & Schel-
strato videtur Eucharistia ideo Fermenti vocabulo ap-
pellata, ut pro more illorum temporum nomine ob-

scu-

(22) Tria hæc decreta sunt apud Labbeum tom. 1.
Conc. pag. 1394, tom. 2. pag. 1016. & 1247.

(23) Sirmondus Disquisitione De azymo cap. 5.
Operum Variorum tom. 4. pag. 359.

seuro profanis celaretur tantum mysterium. (24) Et quidem Eucharistiam dictam esse Fermentum per metaphoram, satis patet consideranti verba illa, quæ sunt in Vita Melchiadis: Quod declaratur Fermentum: item illa, quæ sunt in Vita Siricii: Declaratum, quod nominatur Fermentum, ex quibus apparat, nomen Fermenti esse Eucharistiae adscitum, & aliunde, quam ab ipsa rei natura petitum. Alii aliter illud Fermenti vocabulum interpretantur, ut ad Vitam Melchiadis Pontificis annotavimus. Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam dicere, quod nescio. (25) Nam quod multipliciter intelligitur, ejus, inquit Boethius, veritas ignoratur. (26)

Sed quid sentis, inquiet aliquis, de historia illa tum apud veteres, tum apud recentes Scholasticos (27) probatissima? Utramque scilicet Ecclesiam jam inde ab Apostolis azymo usam esse exemplo Christi, qui panem azimuū consecravit: tum exorta hæresi Ebionitarum, qui sicut dicebant simul cum Evangelio legalia observanda, (28) ita pane azymo ad Sacrum peragendum utebantur; universam Ecclesiam ad hanc hæresim convellendam, azymo rejecto, panem fermentatum adhibuisse: demum Latinos ad pristinum azy-

mo-

(24) Mabillonio *Dissertat. De azymo & fermentato*
cap. 10. pag. 546. & Schelstrato *De disciplina arcane*
cap. 7. art. 5.

(25) S. Augustinus contra Julianum Pelagianum
lib. 5. cap. 4. §. 17.

(26) Apud Andream Alciatū scribentem ad Lectorem initio tom. 4. pag. 3. edit. Lugdun. anno 1660. in fol.

(27) S. Thomam in 4. Sent. dist. 11. quest. 2. art. 2. ad tertiam questionem. S. Bonaventuram in 4. Sent. dist. 11. art. 2. extrema quest. 1. Scotum in eundem locum quest. 6. Durandum quest. 4. Alexandrum Alensem part. 4. De Sacramento Eucharistie quest. 10. membro 4. art. 1. §. 3. aliosque.

(28) D. Thomas loco citato.

morum usum rediisse, Græcos autem usum Fermen-
tati ea occasione receptum retinuisse. Ego vero
secutus eminentissimum Auctorem Joannem Bonam
lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 5. totam narram
iam rejicio. Namque ex illis quidam eam tribuunt
Leoni Papæ, alii ipsum Leonem non ut auctorem, sed
quasi testem adhibent, alii de ipso silent. *Quis vero*
fuerit iste Leo, nec ipsi dicunt, nec se reperiisse ait
Franciscus Suarez Tom. 3. in 3. part. disp. 44. sec. 3.
Quis igitur huic narrationi fidem præstet, cujus apud
antiquos Scriptores per mille fere annos nullum exstat
vestigium? (29) Agit diffuse de hæresi Ebionis Epiphanius Hær. 30. §. 16. Sed quod ejus occasione fermentati usus introductus fuerit, nullo modo testatur,
nec verbum quidem de hac re in aliis exstat, qui de
Ebionæis scripserunt. Quin potius idem Epiphanius in-
ter ceteros illorum errores, hunc recenset, quod mysteria
quotannis celebrabant ad Ecclesiæ & Sanctorum imi-
tationem, in quibus panes azymos, & ad alteram my-
sterii partem solam aquam adhibebant, arguens illos,
quod aliam mysterii partem in aqua sola celebra-
rent, ut ait Martene De Antiquis Ecclesiæ ritibus lib.
1. cap. 3. art. 7. §. 9. (30)

DISPU-

(29) Baronius ad an. Ch. 1. §. 12.: Quod a recentiore auctore de rebus antiquis sine vetustioris testimo-
nio profertur, contemnitur.

(30) Verba ipsa Epiphanius Græco-Latina sunt in
sequentì disputatione pag. 130.

Mabillonius Dissertat. De azymo & fermentato cap.
10. pag. 545.: Ex illis verbis Epiphanius non injuria
quis hoc modo argumentari poterit. Epiphanius pro-
bare videtur Ebionæos in eo, quod Sacrificium offe-
rebat quotannis in azymis ex imitatione Ecclesiæ
saltem Latinæ: eos vero hoc tantum nomine arguit
isto loco, quod pro altera Sacrificii parte aquam so-
lam adhiberent. Ergo eo tempore Ecclesia ex pane
azymo Sacrificium conficiebat. Et paulo post: Ad
hæc si erroris arguit Ebionæos, quod azymis uti-

rentur; ideo istud fecit, quod azymum adhiberent eo animo, ut Legalia cum Evangelio servari oportere traderent.

Calmet in Dissertat. De novissimo Paschate Domini nostri IESU Christi præposita Evangelio D. Matthæi pag. lxv. : Laudatur etiam apud D. Thomam Catena in Matth. cap. 26. veluti S. Gregorii Magni locus, ubi vir ille Sanctus indiscriminatum in Ecclesia Romana azymum, & fermentatum pane adhiberi affirmat. Sed in ejus impressis operibus nihil tale uspiam legitur. Imo nec apud D. Thomam loco citato pag. 91. legitur eo modo. Eu locum integrum: Gregorius in Registro: Solet autem nonnullos movere, quod in Ecclesia alii offerunt panes azymos, alii fermentatos. Ecclesia namque Romana offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commissione suscepit carnem: aliae vero Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, quod Verbum Patris induitum est carne, & est verus DEUS & verus homo. Nam & fermentum commiscetur farina: sed tamen tam azymum, quam fermentatum dum sumimus, unum Corpus Domini nostri Salvatoris efficiuntur.

DISPUTATIO XI.

De Azymo Graecorum.

Græcos semper fermentato pane fecisse, consenserunt viri doctissimi. (1) Horum ego bona venia secutus Franciscum Macedo, & Honoratum a Sancta Maria, quos superioris etiam Disputationis autores habui, probabiles conjecturas facio, quibus suadeam in ipsa quoque Græca Ecclesia panem azymum primis Christi sacerulis ex Traditione consecrari

(1) Mabillonius *Dissertat. de pane Eucaristico, azymo ac fermentato, extremo cap. 3. concludit*, fermentatum apud Græcos ab initio Ecclesiæ, aut certe prope ab initio receptum perseverasse ad sæculum septimum: quo ex tempore constat, numquam intermissum fuisse.

ri solitum fuisse. Principio itaque concedo, exemplum Christi, qui primo die Azymorum, quo nihil fermentati domi habere Judæis licebat, Eucharistia Sacramentum confecit atque instituit, nullam habere legis vim, ex qua azymo uti in Sacrosancto Sacrificio Ecclesia teneatur. Neque enim quidquid Christus egit, id eo consilio egisse dicendum est, ut haberetur pro præcepto: alioquin & semel, & in Pascha duntaxat, & post cœnam legitimam Eucharistia confici ac sumi deberet: quandoquidem eo tempore a Christo Domino instituta ac discipulis tradita est.

(2) Nihilominus multo convenientius consecratur

pa-

Mabillonii sententiæ consentit Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 7., eamque nititur aliis indicis stabilire.

Natalis Alexander dissertat. xi. in Hist. Eccl. sac. XI. & XII. art. 3. colligit, quæ Mabillonius & Bona artulerunt pro usu perpetuo fermentati apud Græcos, consentiens eos pane fermentato semper usos esse.

Ejusdem sententiæ est Augustinus Calmet extrema dissertatione De novissimo Paschate Christi Domini, quam præposuit Evangelio S. Matthei pag. lxvi.

(2) S. Auaustinus ep. 54. c. 6. §. 8. Numquid propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi: nam ideo per universum Orbem mos iste servatur. Et paulo post: Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesiæ dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variasset... Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri & accipi liceat corpus & sanguinem Domini. Vide Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 21. §. 2.

panis azymus, quam fermentatus, multoque *insignia-*
rem Dominici exempli commemorationem celebrat, qui
 azymo, quam qui fermentato utitur, quod ultiro fa-
 tentur illi ipsi, qui perpetuum apud Græcos usum
 fermentati acriter constanterque defendunt. (3)

Ex hac magnorum virorum doctrina simillimum
 veri est, Græcos usque ad sæculum VII. panem a-
 zymum adhibuisse. Cum enim antiquis Græcæ Ec-
 clesiæ Patribus (4) æque ac Latinis persuasum fuc-
 rit, Christum Pascha legitimum comedisse pridie,
 quam pateretur, eumdemque pane azymo ad Eucha-
 ristiam conficiendam usum esse; none consentaneum
 est credere, veteres Græcos tanti mysterii auctorem
 Christum imitatos? Quidni vero imitati fuerint,
 cum panis azymus nitidior ac purior sit, aliisque de
 caussis præstantior fermentato? (5) cum nulla, quan-
 tum scire possumus, fuerit in Ecclesia Orientali lex,
 quæ fermentati usum juberet?

(3) Mabillonius *dissertat. cit. cap. 2.*

Bona lib. i. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 2. Certissimum
 est, multo melius & convenientius esse in azymo con-
 fidere, quam in fermentato; *tum quia*, ut Ansel-
 mus ait, (*De Azymo, & Fermentato cap. 11. pag.*
135.) valde aptius & purius, & diligentius fit; *tum*
quia Dominus hoc fecit.

Natalis Alexander *dissertat. XI. in Hist. Eccl. sæc.*
XI. & XII. tom. 6. pag. 363. probat, Latinæ Ecclesiæ
 in azymo consecrantis usum, non solum propter Chri-
 sti exemplum, non tantum propter mysticas significa-
 tiones convenientiorem esse ritu Ecclesiæ Græcæ fer-
 mentatum ad Eucharistiam conficiendam adhibentis.

(4) Horum testimonia recitat Macedo in *Disquisi-*
tione de ritu azymi & fermentati cap. 5., & Ma-
 billonius in *Disserrat. De pane Eucharistico azymo &*
fermentato cap. 1.

(5) S. Thomas 3. part. quæst. 74. art. 4. Con-
 suetudo de pane azymo rationabilior est. *Primo*
 quidem propter institutionem Christi, qui hoc Sacra-

Sed Pergamus ad reliqua. S. Epiphanius hæc de Ebionitis narrat: *Mυστηρία δὲ δῆθεν τελέσται κατόπινον τῶν Αὐγίων ἐν τῇ Εκκλησίᾳ, αἳ πὸ ἐμβαύτες εἰς ἐμβαύτον, διὰ Αὐγίου, καὶ τὸ αὐτὸν μέρος τῷ Μυστηρίῳ διαδεῖται μόνον: Mysteria vero videlicet perficiunt secundum imitationem Sanctorum in Ecclesia, ab anno in annum, per azyma, & aliam partem Mysterii (6) per aquam solam. (7) omnium adversariorum consensu Ebionitæ azymum consecabant. Cum igitur Ebionitæ in sacris Mysteriis azymo uterentur secundum imitationem Sanctorum in Ecclesia: quæro cujus Ecclesiæ fuerint Sancti, quos sibi ipsi delegerant ad imitandum? Ecclesiæ nomine intelligenda ne est Latina, an Græca, an Ecclesia universa Occidentalem & Orientalem complectens? Si Ecclesiæ vocem postremo modo accipias, jam vides, Sanctos universalis Ecclesiæ azymo uti solitos, & ejusmodi panis usum primis Christi sæculis Græcis perinde, ac Latinis fuisse communem: si ad solam Orientalem Ecclesiam referas, fateare necesse est, Græcos tunc temporis Ebionitarum azymum adhibuisse: si denique Latinam Ecclesiam intelligas, id 'vero assertionem nostram de perpetuo azymorum usu apud Latinos miruin in modum confirmat. Verum postrema hæc inter-*

mentum instituit prima die azymorum *ut habet Matth. 26. & Marc. 14. & Luc. 22.*, qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, *ut habetur Exod. 12. Secundo*, quia panis est propriæ Sacramentum Corporis Christi, quod sine corruptione conceputum est, magis quam divinitatis ipsius, *ut infra patet qu. 76. a. 1. Tertio*, quia hoc magis competit Sacramenti, secundum illud 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.

(6) Hoc enim nomine antiqui Eucharistiam nominabant: Baronius ad an. 34. §. 46.

(7) Hæresi 30. §. 16. pag. 139. & 140.

interpretatio minus propria, minusque ad rem videatur. Verba enim hæc indefinita: Secundum imitacionem Sanctorum in Ecclesia, non magis Orientalem Ecclesiam significant, quam Occidentalem, cum utraque communii Ecclesiæ vocabulo contineatur. Quod si dicas, ibi Ecclesiæ nomine peculiarem aliquam Ecclesiam significari, illud etiam dicas, oportet, eam fuisse Ecclesiam Græcam: quoniam incredibile omnino est, hæreticos Græcæ Ecclesiæ sibi proposuisse imitandos Sanctos Ecclesiæ Latinæ, cum qua commercium nullum habebant.

Præterea Armenii hodie panem azymum consecrant ex Traditione, quam acceptam referunt S. Gregorio primo Armeniæ Episcopo, qui sub initium sæculi IV. jussu Tiridatis Regis Armeniorum morti daus est. Sanctum hunc Martyrem Cæsareæ in Cappadocia nutritum atque consecratum, eam Eucharistæ materiam, quæ Cæsareæ adhiberi consueverat, in Armeniæ Ecclesiam ab se constitutam invexisse, nemo unus, ut opinor, inficias iverit. Et sane Armenios pane azymo usos ex S. Gregorii instituto, tradit Demetrius Cyzicenus De Jacobitarum hæresi ac Chatitzariorum. Oblationem faciunt azymam, ait, inque Calicem Communionis Jacobitarum more solum vinum infundunt, nec miscent aqua. Ac juniores quidam Chatitzariorum ex caufsa irrationali id cærimonie inductum nugantur: veteres autem eorum Doctores, Sanctum a Deo afflatum ac Martyrem Gregorium, magnæ Armeniæ Episcopum, oblationem ejusmodi sine fermento, ac Calicem sine aqua eis ideo tradiisse calumuiantur, quia, inquiunt, quem Christus panem discipulis tribuit in Cœna mystica, azymus erat, ac Calix sine aqua; quos tamen Ecclesia Catholica, Apostolicam ac Patrum Traditionem legitime servans, non probat. (8) Eadem prorsus narrat Nicephorus Callistus. (9) Scriptores hi duplici de caufsa Armenios reprehendunt,

(8) In Bibliotheca Patrum tom. 12. pag. 814. & apud Bonam lib. 1. Rer. Litor. sc. cap. 23. §. 8.

(9) Ecclesiastica Historiae lib. 18. cap. 54. pag. 885.

tum quod azymo uterentur, tum quod nihil aqua
vino admiscerent. Quod spectat ad primum, id ne-
mo mirabitur, qui non ignoret, auctores illos post
conflatum Græcorum schisma vixisse, & Latinæ ipsi
Ecclesiæ eam ob rem obtrectasse. Quod attinet ad
alterum, Armeniorum nonnulli ad hæresim Jacobi-
tarum medio fere sæculo VI. delapsi, in eos, alios
que errores inciderant. Demetrius insuper, ac Ni-
cephorus autuunt, morem consecrandi azymum,
& aquam vino non adiniscendi contrarium esse con-
suetudini Ecclesiæ Catholicae, & Apostolicae Tra-
ditioni: qua in re longe vehementerque falluntur.
Quamvis enim Catholica Ecclesia sequens Traditio-
nem vino aquam admisceat; numquam tamen azym-
i usum reprehendit: ac propterea id, quod ipsi Tra-
ditionem Ecclesiasticam & Apostolicam vocant, nul-
lo modo ad azymi consecrationem pertinet. Demum
citati Scriptores negant, Armenios morem illum ac-
cepisse a S. Gregorio primo eorum Episcopo. At
credendum ne magis est Græcis hisce recentioribus,
qui nullam, cur id asserant, rationem, nullum te-
stem proferunt, an veteribus Armeniorum Doctori-
bus, qui de Ecclesiæ suæ Traditione testantur? Profe-
cto Synodus Trullana seu Quinisexta anno 692. Con-
stantinopoli in Trullo celebrata, (10) qua contra
Armenios multa decrevit, atque inter cetera can-
32. sanxit, ut aquam vino admiscerent, Armenios de
consecratione azymi nullo modo arcessit. (11) Quid
ita? quia nimirum illius Synodi Patres existimarunt,
azymi consecrandi morem non esse errorem Tra-
ditioni contrarium, sed Ecclesiæ Armeniorum consue-
tudinem, quam redarguere ausi non sunt, quod uno
aut duobus ante sæculis toti Græce Ecclesiæ commu-
nis erat.

Accedit, quod cum Mauritius Imperator, qui an-
no 582. Tiberio II. successit, Armenia potitus omnes
hujus Provinciae Episcopos Constantinopolim vocasset,

Mo-

(10) Vide annotationem 1. ad Sergium I.

(11) Apud Labbeum tom. 6. Cenc. pag. 1156.

Moses Catholicus, (12) qui locum S. Gregorii sedemque primam tenebat, illuc ire recusavit, dicens: Absit, ut transeam fluvium Azat, vel furno coctum comedam, aut calidum bibam. (13) Simili quoque ratione Episcopi provinciae Asprouram, proutquot sub Persarum ditione erant, (14) Constantinopolim se conferre noluerunt. Hinc colligere licet, primum quidem Armenios ita addictos fuisse ac devotos Traditioni antiquæ, juxta quam azymo utebantur, ut a Græcis fermentatum consecrantibus scandalum patarentur, atque ob id nollent cum illis communicare: deinde vero illud etiam sequitur, fermentati usum non oppido antiquum inter Græcos fuisse: quandoquidem si Episcopi Constantinopolitano Patriarchæ subjecti semper fermentatum adhibuissent, id Armenii nullo modo ignorassent. Quia igitur de causa Armenii, qui ante finem saeculi VI semper cum Episcopis Patriarchatus Constantinopolitani communicabant, ut demonstrant Concilia, quibus illi una cum istis interfuerent, postea sub finem ejusdem saeculi id facere recusarunt? Quia nimirum Græci Eucharistie materiam mutaverant, & fermentatum in azymi locum substituerant.

Neque existimandum est, Armenios tunc temporis omni ex parte Catholicos non fuisse. Namque Armeniorum Episcopi anno 553. presentes adfuere Concilio Constantinopolitano II. Oecumenico V., quod

I 3

Vigi-

(12) Nomen est dignitatis, & Primatem seu Patriarcham significat, quem ipsi (Armenii) Catholicon, id est universalem propter infinitum, id est amplius quam mille Episcoporum sub se habentem numerum, vocant: ut scribit Otto Frisingensis lib. 7. Chron. cap. 32. pag. 146. & apud Lab. tom. 10. Conc. pag. 1043.

(13) Alludens nimirum ad ritum Græcorum in pane fermentato & in furno cocto consecrantium, & aquam calidam Calici miscentium. Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 8.

(14) Narratio de rebus Armeniorum in Bibl. Patr. tom. 12. pag. 816.

Vigilio consentiente celebratum est. (15) Quamquam sive Catholici, sive Hæretici Armenii fuerint, certum est, eos numquam ad hanc usque diem azymi usum intermisso. S. Nicon natione Armenius, qui sub fine saeculi X. floruit, omnium primus ceteris Armeniorum erroribus illum etiam annumeravi, quod azymo werentur. In pane mystico, inquit, utuntur azymis, & in sanctum Calicem aquam non immittunt. (16) At Vir sanctus aut injuria Armenios reprehendit, cum Episcopi anno 692 in Trullo congregati ea solum de causa exauctorationem Armeniis comminata sunt, quod vinum tantum in sacra mena offerrent, aquam illi non miscentes, (17) aut ideo reprehendit, quod non sequentur morem consecandi fermentati, qui inter Græcos cœperat esse communum.

Addit istuc anathema, quo Græci postremo schismate a Latinis divisi, Armenios ad Græcam Ecclesiam redeuntes cogunt errorem ejurare: Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & sal, nec aquam cum vino in sanctum Calicem, anathema sit. (18) Nonne verba hæc indicant, Armenios post separa-

(15) Eadem Narratio ibidem pag. 815. Vide annotat. 1 r. ad Vigilium.

(16) De pessimorum Armeniorum pessima religione. In Bibl. Patr. tom. 25. pag. 328. & in Cotelerii notis ad Patres Apostolicos tom. 1. pag. 238. Constitut. Apostol. lib. 2. cap. 24.

(17) Can. 32. apud Lab. tom. 6. Conc. pag. 1156.

(18) Ita legitur in veteri formula ab Joanne Baptista Cotelerio in erta notis ad lib. 5. Constitutionum Apostolicarum cap. 13. pag. 317. quæ inscribitur: Renuntia hoc hereticorum Armeniorum. Quomodo debeant anathematizare, cum ad Fidem Orthodoxam Romanam redeunt. Nomine autem Fidei Romanæ, seu R. manorum intelligi Græcos tum hic, tum apud Theorianum in Dialogo adversus Armenios, tum passim apud alios Scriptores, manifestum est, ut ait Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 8.

parationem Ecclesiae Græcae a Latina servasse antiquum morem suum azymi consecrandi?

Quid quod Michael Cerularius Patriarchis Alexandrino, & Hierosolymitano in crimine ponit, quod non solum alios azymis utentes recipiunt, sed etiam ipsi aliquando in azymis sacram conficiunt Sacrificium? (19) Nonne viri schismatici querela hæc videtur significare, Alexandrinam, & Hierosolymitanam Ecclesiam ante schisma azymo usam esse, ac noluisse azymis rejectis Græcorum schismaticorum exemplum sequi? Nonne credibile est, plerosque Orientis Episcopos, qui a Fide Catholica defecerant, disciplinam quoque ad materiam Eucharistie pertinente mutasse, ne Romanorum Ecclesiam imitari viderentur? (20) Quis enim non sibi facile persuadeat, tot Patriarchas, & Episcopos, aut illegitimos, aut hæreticos, pulchrum existimasse ac gloriolum, diversos a Catholicis ritus etiam in maximo totius Christianæ religionis Sacramento amplecti, ut hac veluti tessera ab Orthodoxis discernerentur? Num mirum sit, Græcos hujusmodi Episcopos id facinus ante sæculum VII. admisisse, quod postremo schismate Græci perpetrarunt, qui postquam tunicam Domini inconsutilem divisorunt, ut perpetuae divisionis scandalum interponerent, Sacrificii ritum (fermentato pane in locum azymi substituto) temere mutavere? (21) Hactenus sunt conjecturæ, quæ aptissimæ videntur ad persuadendum, etiam apud Græcos primis Christi sæculis azyma in usu fuisse: quam sententiam contrariorum locorum dissolutio magis confirmabit.

(19) In epistola ad Perrum Patriarcham Antiochenum apud Baronium ad an. 1054. §. 32. Vide annotat. 4. ad S. Nicolaum I.

(20) Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Historia Orientali cap. 38. apud Mabillonum Dissertat. de azymo & fermentato. Cap. 3. pag. 530.

(21) Innocentius III. lib. 4. Mysteriorum Missæ extremo cap. 4.

Primus omnium dissolvendus est locus Joannis Grammatici Alexandrini³, cognomento Philoponi, quo in primis auctore sententia sua adversarii utuntur. Is homo sexti saeculi contendit, Christum Dominum pridie mortem suam non celebrasse Pascha legitimum, eoque in azymis Eucharistiam non instituisse: quandoquidem ait, si Christus sub specie panis azymi corpus suum discipulis dederet, fore ut id etiam tum in Ecclesia fieret. (22) Id vero totum evertitur hac responsione. Nam omnis Ecclesia Orientalis prioribus saeculis credidit, atque adeo pro certo habuit, Christum ultimam cœnam diebus azymorum paregisse. Asianorum Ecclesiarum morem, quem sequebantur, celebrandi Paschæ Luna XIV. defendebant exemplo Christi, qui eo die Paschalem agnum comedederat. (23) Origenes Tract. 25 in Matth. asserti, Christum more Judaico Pascha ultimum celebrasse. Originem secuti sunt Theophilus, S. Cyrilus, S. Proterius Alexandrini Patriarchæ, (24) S.

Epi-

(22) Ecce verba ejus apud Mabillonum *Dissertat. cit. cap. 3. pag. 531.*: Nam nihil horum in Cœna contigit, ut iam dixi, neque azymum proprii Corporis antitypum discipulis suis Christus dedit. Nam & hoc etiam nunc fieret.

(23) *Mabillonius ibidem cap. 1. pag. 527.*: Nulla vero causa videtur, Cur Asiatici tantopere morem suum retinere studuerint, nisi quod Christum ipsa die Lunæ quarta decima ad Legis præscriptum Pascha peregrisse ex majoribus accepissent.

(24) Horum sententia haec in re eo majoris est ponderis, quod antiqui Patres statuendi quotannis Paschalis festi omnem curam Alexandrino Episcopo delegarunt, referente Leonis Papæ I. epistola 94. ad Marianum. Quoniam apud Ægyptios hujus suppurationis antiquitus tradita videbatur esse peritia, per quam qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis eveniret, Sedis Apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesiæ judicium generaliter percurreret. Hac enim

Epiphanius Hær. 30. §. 22. Theodoretus quæst. 24.
in Exodum, & S. Joannes Chrysostomus Hom. 81.
& 85. in Matth. Quæ opinio inter Græcos adeo com-
munis fuit, ut Photius in Bibliothec Cod. 116. (25)
scripserit, non modo S. Joannem Chrysostomum, sed
etiam omnem Græcam Ecclesiam docere, Pascha le-
gitimum a Christo celebratum fuisse. Quod si ita
est, profecto consequitur, Græcos prioribus Christi
sæculis panem sine fermento consecrasse, quod non
fecissent, si Salvatorem pane fermentato usum, sci-
vissent: ac proinde Græcos juxta, atque Latinos æ-
zymi consecrandi morem ab Apostolis accepisse, &
illos quidem, ut Christum imitarentur, per aliquot
sæcula, hos vero usque ad hanc diem constanter ac
religiose servasse. Quare ex testimonio Philoponi il-
lud unum videtur confici, morem fermentati conse-
crandi id ætatis in aliqua peculiari Ecclesia obtinuisse,
non autem fuisse toti Græcæ Ecclesiæ commu-
nem, neque Græcos pane fermentato semper usos es-
se. Sed esto Græca Ecclesia Philoponi ætate fermen-
tato usa fuerit. Quomodo fermentati usum illum a
primis usque Christi sæculis repetendum esse proba-
bis? Certe aut auctoritate, aut Traditione. At Au-
torum testimonia certa & explorata nulla sunt. Tra-
ditionis vero fundamentum quodnam erit? Num lo-
cus Philoponi? at Philoponus nihil dicit. Num Ec-
clesiarum consensus? at de eo haudquaquam con-
stat.

Id constabit, inquires, ex S. Augustini, & Irenæi
doctrina, juxta quam perpetuus azymorum usus apud
Latinos ab Apostolis in Disputatione superiore deduc-
tus est, cum saltem Cerularii ætate Græca Ecclesia
omnis fermentatum communiter adhiberet. Ni-

enim peritia facile edociti erant, quo die incidisset Pa-
schale festum eo anno, quo Christus extremum Pascha
celebravit. Idem Mabillonius Dissertatione memorata
cap. 1. pag. 528.

(25) Verba ipsa Phorii sunt in superiore Disputa-
zione de azymo Latinorum pag. 123.

hil minus. Nam tempore Cerularii Ecclesia Patriarchales, ne quid de aliis dicam, ab antiqua disciplina iam desceiverant, instigantibus Episcopis schismatis & haereticis, qui sedes illas subinde occupaverant. Atque haec ipsa Patriarcharum successio vel intermissa fuit, vel omnino cessavit. Post captam a Saracenis Hierosolymam anno 633. ad finem usque saeculi XI. cum Latini Urbem illam in suam distinctionem redegerunt, quinque, aut ad summum sextanto temporis intervallo numerantur Patriarchæ Hierosolymorum. Successio vero Patriarcharum Alexandrinorum licet usque ad medium ferme saeculum VIII. legitima haberetur; difficile tamen fuerit eos nominatiū recensere, qui titulo duntaxat Patriarchæ fuerunt per id tempus, quo Alexandria barbarorum dominatu pressa, & afflita est. Quid Antiochia? Nonne ab Saracenis circiter annum Christi 685. occupata, per tria ferme saecula nullos Episcopos habuit, aut saltem eorum nomina nos adhuc latent? De Constantinopolitana tandem nihil dico. Illam enim ab Apostolis fundatam non fuisse, nemo ignorat. Ex his, ut arbitror, pater, usum fermentari apud Graecos non posse secundum doctrinam S. Irenæi ab Apostolis deduci. Etenim is requirit non solum, ut communis mos sit, ut ab Apostolica institutione derivari queat: sed etiam ut successio legitima Episcoporum illius Ecclesie, in qua mos ejusmodi servatur, numquam interrupta fuerit.

Qui locum Philoponi maxime urget, ut ostendat, fermentari usum ante memoriam omnem apud Graecos invaluisse, (26) idem sententiam suam probare nititur hoc etiam modo. Orientalem Ecclesiam ipso Christianæ religionis exordio, ut ex epistola Irenæi narrat Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 24., servasse ritus ab Ecclesia Occidentalis ritibus diversos; quam diversitatem per varias Ecclesias in mysticis Sacrificiis agnoscit etiam Photius epist. 64. ideoque fieri potuisse,

(26) Mabillonius Dissertat. cit. cap. 3. pag. 53¹.
Et 532.

se, ut Ecclesia utraque panem diversum ad Eucharistiam conficiendam adhiberet. Hanc conjecturam confirmari auctoritate Origenis in Matth. cap. XVI. 16. ubi differens de fermento Pharisaorum: *An non, inquit, & aliquando fermentatum offerat super Altare?*

Aliud testimoniū desumit ex Chronico MS. Davidi Episcopi Mediolanensis, qui medio saeculo sexto vixit. Quo in Chronico dicitur S. Ambroſius Græcorum Ecclesiam in pluribus officiis venerabiliter imitatus fuisse, & Sacrificium eorum, scilicet fermentatum, cum nostro azymo in celeberrimis Festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini benedixisse.

Profert insuper testimonium Humberti Cardinalis in Responsione ad Nicetam, ubi aperte innuit, tempore Synodi VI. quæ anno 680. habita est, (27) Græcos alio pane usos esse, quam Latinos.

Unde denique addit, quod Græci ante schisma Photianum pane denso & integro, iisdem omnino instrumentis, atque ritibus utebantur in Liturgia sacra, quibus etiam nunc utuntur: atque ex eo quod de pane integro & denso coronulam lanceola demebant in Sacrificium, colligit, panes ab ipsis tum adhibitos fuisse crassos & inflatos, quales in usum communem cedunt, id est fermentatos.

Verum hæc indicia omnia levissima sunt. Nam nec Eusebius, nec Photius aliquid dicunt, quod panem fermentatum, aut azymum indicare possit. Quod spectat ad Origenem, primum non constat, utrum de Veteris, an Novi Testamenti Sacrificio loquatur: deinde si aliquando fermentatum offeratur super Altare, ergo non semper, ut volunt adversarii: ergo nonnunquam etiam azyma. Postea, si quidem Origenis mentem assequor, tantum abest, ut fermentatum offerri afferat, ut etiam contrarium significet. Nam juxta editionem Petri Danielis Huetii: Οὐτοῦ inquit, μήποτε ζύμη & προσφέρεται ὅπλα τὸ θυσιαστέλεχον. Ita autem numquam fermentum offertur su-

Super Altare. (28) Duæ vero negantes particulæ a pud Græcos vehementius negant.

Porro Chronicon Datii nihil officit assertationi nostræ. Præterquam quod enim non est credibile, S. Ambrosium duplici panis genere fermentato & azymo usum esse, opus illud falso Datii nomine inscriptum observarunt viri doctissimi Pagius, Menardus, Bona, quin Mabillonius ipse, qui eo usus est, fatetur non licere sibi de hujus Chronicæ auctoritate certo pronunia re. (29)

Jam vero certum est, quidquid dicat Cardinalis Humbertus, nullam in Synodo VI. factam azymi aut fermentati mentionem.

Quod spectat ad extremum, non appareat, cur panis azymus talis esse non potuerit, qualem tunc Græci adhibebant, densus, integer, crassus & inflatus. Et lanceolæ usum recentem & novum esse, advertit Jacobus Goar in Euchologio pag. 116.

Qui sententiæ de perpetuo apud Græcos usu fermentati consentit, eam conatur aliis indicis stabilire. (30) Recitat primo loco Græcorum Patrum (31) testimonia, qui panem consecrandum appellant communem.

Sub-

(27) Vide annotat. 1. ad S. Agathonem.

(28) Part. 1. pag. 271. edit. Rothom. anno 1668. in fol.

(29) Mabillonius Disserrat. De azymo ac fermentato cap. 6. pag. 534. Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 7. Menardus in Librum Sacramentorum S. Gregorii tom. 3. pag. 586. Pagius ad an. 552. §. 27.

(30) Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 7.

(31) Justini Martyris, qui prope finem secundæ Apologiæ sermonem habens de Sacrificio Missæ: Non enim, ait, ita sumimus ut communem panem, & communem potum, sive ut alius interpres vertit, ut vulgarem panem, & vulgare poculum. Irenæi lib. 4. cap. 34. Jam non communis panis est, sed Eucharistia. Gregorii Nysseni Orat. in baptismum Christi: Panis item panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sacrificatur,

Subiungit acerrimas Græcorum querimonias aduersus nationes throno Patriarchali Constantinopolitano subjectas, quæ azyinis præter communem usum uti cœperant.

Addit, ob eundem usum azymorum reprehensos esse Armenios, eundemque usum apud illos cepisse circa tempora Synodi VI. Generalis, postquam defecerant ad hæresim Eutychianam, ex decreto Conciliabuli in Urbe Manascherti in finibus Hircaniae ab Joanne Ozniensi Patriarcha coacti, ut narrat Clemens Galanus Part. I. Conciliationis Ecclesiæ Armenæ cum Romana cap. 17. pag. 201. (32)

Ad prium respondeo, Sanctos illos Patres, ut cuilibet eorum verba attente perpendenti perspicuum fiet, sumere vocabulum *panis communis* non proprie & prout opponitur pani azymo, sed quatenus opponitur pani consecrato, seu Corpori Christi. Quinquam quid prohibet, quominus etiam *panis azymus panis communis* dicatur? Nonne ex eadem materia constat, ac fermentatus? Nonne, ut ipse Eminentissimus Bonæ Cornelii Celsi auctoritatem secutus fatetur, panem utrumque azymum & fermentatum Romani, ac gentes aliæ adhibere communiter consueverunt?

Neque

verit, *Corpus Christi* fit & dicitur. Cyrilli Hierosolymitani Catech. mystag. 3.: *Panis Eucharistie post Spiritus Sancti invocationem non amplius est panis communis, sed Corpus Christi.* Isidori Pelusiota lib. 1. epist. 109. *Spiritus Sanctus in mystica mensa communem panem Christi Corpus facit.*

(32) Ejus verba sunt: Hic (Joannes Ozniensis Patriarcha) jussu Homaris Saracenorum Dicis, & auxilio Caliphæ Babylonis synodus congregavit in Urbe Manascherti in confinibus Hircaniae provinciæ, ubi convenientibus cum Armeniis sex Assyriis Episcopis, definita fuit in Christo una natura, una voluntas, & una operatio; fueruntque a sacris oblata mysteriis fermentum & aqua, canoneque statutum est, non esse amplius in sacrificiis aquam vino miscendam.

Neque ex Græcorum querimoniis adversus eos, qui
azymo uterentur, aliquid conficiunt. Nullus enim
scriptor in medium adduci potest, qui insurrexit
contra Ecclesiæ azymum consecrantes ante S. Nico-
nem, qui sub finem sæculi X. obiit. Nam quod spe-
ciat ad Ebionitas, numquam S. Epiphanius illos co-
arguit, quod azymis uterentur, quoniam ea in re
Sanctos imitabantur, sed tantum quod aliam mysterii
partem aqua sola perficerent. At enim Ebionæi imita-
ti sunt Sanctos quoad ipsa mysteria, non eorum mate-
riam: alioquin dicendum foret, eos aquam quoque ad-
hibuisse ad imitationem Sanctorum, (33) cum S.
Epiphanius utramque conjungat. Acuta sane inter-
pretatio, & ad cavendum quidem apta, ad sensum
vero ac mentem Epiphanii minime accommodata.
Mysteria perficiunt per azyma, ait S. Epiphanius.
Num dici potest, verba hæc ad ipsa tantum Mys-
teria, ac non potius ad Sacrificii materiam pertinere?
Verum quidem est, Ebionitas aquam solam conse-
seccrare solitos: at hoc id non est, in quo illi Sanctos
imiabantur, neque id S. Epiphanius significare ve-
luit. Duo enim inter se distinguit, ac dicit, Ebio-
næos secutos exemplum Sanctorum usos esse azymo,
deinde vestigio subjungit, illos ad aliam Sacrificii par-
tem conficiendam adhibuisse aquam solam, qui unus
erat ex erroribus Ebionitarum. (34)

Tandem quod pertinet ad id, quod tertio loco ob-
jectum est: non nego, Græcos ante tempora Synodi
VI. fermentato uti cœpisse: id enim docet supra al-
iatus Philoponi locus: nego tamen, Galani testimo-
nio probari, morem hujusmodi communem in Ec-
clesia Græca fuisse, & Armenios eo tempore pane
azymo Sacrum facere cœpisse. Nam centum & am-
plius

(33) *Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 23. §. 5.*

(34) Sunt hæc S. Epiphanii verba ad verbum de
Græcis expressæ: Mysteria vero videlicet perficiunt se-
cundum imitationem Sanctorum in Ecclesia ab anno in-
annum per azyma, & aliam partem Mysterii per aquam
solam.

pius ante annis azymus apud Armenios sacrificalis erat: siquidem, ut supra dictum est, Moses Armeniorum Catholicus ideo Constantinopolim ire recusavit, ne ibi fermentum sacrificare cogeretur. Neque in Concilio Manascherti habito Armenii anathema contra Synodum Chalcedonensem dixerunt, sed in conventu anno 554., centum & tribus annis post Concilium Oecumenicum IV. celebrato in Urbe Tiben, quo tempore Armeniorum nonnulli ejurata fide Catholica Eutychianis adhaeserunt, seque ab societate Ecclesiae separantur. In hoc autem Tibinensi conventiculo nulla mentio facta est de Sacrificio azymorum, sed rejectae tantum sunt Traditiones aliquæ, quas Armenii a S. Gregorio primo ipsorum Patriarcha, aliisque majoribus acceperant. (35) Sed de azymo Græcorum jam satis est argumenti.

Quo autem tempore ab usu azymi consecrandi recesserint, nihil certi videtur posse constitui. Existimaverim, Græcos illorum quinquaginta annorum spatio, qui a medio sæculo VI. ad initium sæculi VII. numerantur, azyma abjecisse. Sane Philoponus testatur, Græcos exeunte sæculo VI. panem fermentatum usurpasse, quamvis non designet Ecclesiam, quæ couteretur, nec significet quam antiquis & communis hic usus fuerit. Id etiam certum est, ritum illum in omni Græca Ecclesia usurpatum non fuisse. Etenim Ecclesiae Catholico Armeniorum subjectæ, quæ magnam Ecclesiae Græcæ partem constituebant, cum mille & amplius essent, azymo utebantur; quod, ut supra dixi, in causa fuit, cur Moses Armeniorum Patriarcha, aliquique Episcopi a Mauricio Imperatore arcessiti Constantinopolim ire recusaverint. Præterea Armenii, ut pariter dictum est, anno 563. interfuerunt Concilio Oecum. X. Constantinopolitanó II., unde colligas, Ecclesiam Constantinopolitanam azymo tunc uti consueuisse. Nam alioquin Armeniorum

Epi-

(35) Constant hæc ex Narratione de rebus Armeniorum in Bibl. Patr. tom. 12. pag. 816. & 817. Vide Pagium ad an 552. §. 24.

Episcopi recusassen communicare cum Episcopis subiectis Patriarchæ Constantinopolitano, quemadmodum postea Moses Catholicus, aliqui Antistites fecerunt, eam solum ob rem, ne furno coctum panem, hoc est fermentatum comederent. Inferre ex his licet, ab anno 553. ad finem saeculi VI. Ecclesiam Constantinopolitanam, azymo ablegato, fermentatum adhibere coepisse: cuius exemplum, utpote obtinentis locum principem inter Græcas Ecclesiæ, imitantibus subinde aliis Ecclesiis, fermentati usus paulatim usque ad ultimum schisma increverit. Hinc Michael Cerularius, ejusque sectatores obrectare Latinæ Ecclesiæ non dubitarunt, quod panem azymum consecraret, quamvis eorum decessores morem istum tamquam legitimum, aut saltem indifferentem respexissent. Neque enim Patres Synodi Quinisextæ anno 692. celebratae vitio Armeniis dederunt, quod azymo ad rem divinam faciendam uterentur.

Sed perge porro. Ab anno 553. usque ad saeculi finem quatuor Patriarchæ Constantinopolitanam sedem tenuerunt. Mennæ anno 552. vita functo anno eodem suffectus est Eutychius, qui statim per litteras rogavit Vigilium Pontificem, ut Concilium indice ret dirimendæ controversiæ trium Capitulorum, quæ Ecclesiæ perturbabat. (36) Annuit Pontifex, & Syndodus, quæ locum inter Oecumenicas quintum obtinet, eodem anno 553. Constantinopoli habita est. Paulo post, cum Eutychius Justinianum Imperatorem in novum errorem lapsum castigasset, Imperator ita percitus, conventu anno 563. coacto, Patriarchatum illi abrogavit, & Joannem Exscholasticum magnæ Antiochiae Responsalem, (37) Constantinopoli agentem, in ejus locum suffecisset, annitentibus hereticis, quibus adhæserat. Joannes iste, tertius hoc nomine, se pro Patriarcha gessit usque ad annum 577. quo obiit diem supremum, & Eutychium thronum Con-

stan-

(36) Vide annotar. 3. ad Vigilium Pontificem.

(37) Theophanes in Chronographia pag. 162. edit. Veneta.

stantinopolitanum secundo accepit. (38) Eutychio anno 582. subrogatus est Joannes IV. cognomine *Jejunator*, quem cum Eutychius morti proximus sibi suffectum iri prævidisset, eumque nosset intus & in cuncte, professus est, se electionem hujusmodi non probare. Concilio ex Episcopis, qui erant Constantinopoli, & proprius aberant, congregato, ut caussam Gregorii Antiocheni cognoscerent, nomen Episcopi Oecumenici seu *Universalis* sibi arrogavit. Id ægre tulit Pelagius II. Pontifex Romanus, ejusque successor Gregorius Magnus, quo regnante, Joannes novum & superbum nomen sibi arrogare perseverabat. (39) Joannem anno 596. exceptit Cyriacus. Hic quoque cum Oecumenici titulum affectaret, eoque Concilium indixisset Constantinopolim, S. Gregorius ab ejus ambitione omnia metuens, epistolam ad Eusebium Thessalonicensem, & ad Episcopos Orientis dedit, (40) ut sese Cyriaci audaciae, ac temeritati opponerent, nec aliquid contra Canones usurpari ab eo finerent. Quare cum postea Phocas Imperator, Pontificatum administrante Bonifacio III. sanxisset, ne ulli Episcopo, nisi Romano, nomen Oecumenici tribueretur, (41) Cyriacus in errore confectus anno 606. e vivis excessit. (42)

Ex

(38) *Idem Theophanes ibidem pag. 167.*

(39) *Idem S. Gregorius lib. 5. epist. 18. & 19. nomen Episcopi universalis dicit novum, nefandum, stultum, superbum, perversum, elatum, temerarium, sceleratum.*

(40) *Quæ est 68. libri 9.*

(41) *Anastasius Bibliothecarius in Vita Bonifacii III. tom. 1. pag. 117. & tom. 4. pag. 14. Paulus Diaconus de Gestis Longobardorum lib. 4. cap. 37., cuius verba sunt in Annotat. 1. ad Bonifacium III.*

(42) *Pagi ad an. 552. §. 18. ad an. 553. §. 2. ad an. 563. §. 3. ad an. 578. §. 5. ad an. 582. §. 6. ad an. 588. §. 7. ad an. 596. §. 2. ad an. 606. §. 3.*

Ex his , ut arbitror , non erit difficile credere , Joannem IV. aut Cyriacum morem antiquum azymi consecrandi mutare tentasse . Cum enim nomen Patriarchæ Oecumenici usurparint , cur non etiam fermentum induxerint , ut ab Ecclesia Romana magis se jungerentur , & Romanum Pontificem tamquam caput non agnoscerent ? Nonne id vel ex eo credibile fit , quod hoc circiter tempore Moses Armeniorum Catholicus ire Constantinopolim abnuit , ne communicaret cum Patriarcha ejus Urbis , in qua fermentatus consecrabatur ? Nonne ritum fermentati consecrandi valde recentem , ac proinde scandali plenum fuisse necesse est , cum hac una de causa Armenii adventum suum Constantinopolim Mauricio excusaverint , quamvis aliam majoris momenti haberent ? Nimirum satis erat , si Mauricium admunissent , se Constantinopolim non venire propter ambitionem & arrogantiā Joannis IV. & Cyriaci , qui nomen Episcopi Oecumenici usurpabant , tum ne superbam usurpationem approbare viderentur , tum etiam ut ostenderent , se novis hisce Oecumenicis nullo modo subjectos , aut inferiores esse .

Ad hæc Philoponus , qui circa idem tempus Constantinopoli morabatur , composito Tractatu *De Pascha* , probare conatus est , Christum in ultima Cœna non celebrasse Pascha legitimū , neque agnum , aut azyma comedisse , ideoque Eucharistiam non ex pane azymo , sed fermentato consecrississe . Id unum est Operis totius argumentum , nec ullum auctorem refellendum , aut novam opinionem convellendam sibi Philoponus proponit . Porro certum est , Græcos ab ipsis Ecclesiæ incunabulis credidisse , Pascha legitimū a Christo celebratum , & azymum panem adhibitum in Ecclesiæ institutione . Philoponus Alexandriæ altus , atque educatus ignorare non poterat , Theophilum , Cyrillum , Proterum , aliosque Alexandrinorum Antistites , quibus cura ea a Patribus Nicænis demandata fuerat , ut quotannis Dominicum diem agendo Paschæ festo præstituerent , summaque Pontificem ea de re certiorem facerent .

(43) ignorare, inquam, non poterat, Alexandrinos hosce Patriarchas pro certo habuisse, Christum usum esse pane azyino ad Eucharistiam instituendam. Undenam igitur illi venit in mentem opus aggredi, quo inaudita haec tenus sententiam persuadere tentaret? Absurdum ne foret asserere, Philoponum in sua de Pascha disputatione id unum spectasse, ut recens inductum fermentati consecrandi morem defenderet, eique auctoritatem conciliaret? Nonne si concedas, Christum Dominum, ut ajebat Philoponus, non celebrasse Pascha legitimum, ac panem fermentatum ad sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum instituendum adhibuisse, azymi ablegatio & fermenti in ejus locum substitutio debuit magnam boni speciem præseferre? Profecto conjectura hæc confidere non nihil videtur, cum Græci ex hoc tempore hanc rationem unam pro fermento contra azymum afferre consueverint. Denique cum Philoponus in hæresim Tritheitarum lapsus esset, & librum, quo corporum resurrectionem rejicit, compoñisset: itemque alium adversus sacram & Oecumenicam quartam Synodum Chalcedonensem, (44) non abhorret a veritate, eumdem scripsisse etiam tractatum de Pascha, non modo ut recentem usum fermentati stabiliret, verum etiam ut Episcopis mutationis istiusmodi auctoribus gratificaretur, eorumque existimationi ac famæ consuleret, & schisma inter Romanos Pontifices & Patriarchas Constantinopolitanos foveret. Non erit autem omnino credibile, hanc fermentati substitutionem in locum azymi paulatim confirmatam in Patriarchatu Constantinopolitano sub quinque aut sex hæreticis Patriarchis, qui sedem illam usque ad annum 658.

K 2

oc-

(43) Vide annotat. ad S. Victorem I. & paulo ante positam annotationem 24.

(44) Photius in Bibliotheca Cod. 22. pag. 14. cod. 55. pag. 46. Nicephorus lib. 18. Hist. Eccl. cap. 46. 47. & 50. tom. 2. pag. 872. & 878. Leontius de Sectis art. 5. tom. 9. Bibl. Patr. pag. 668. Baronius ad an. 535. §. 76.

occuparunt: aliasque Orientis Ecclesias Constantino-
politanæ exemplum usque ad ultimum schisma secutas
fuisse.

DISPUTATIO XII.

*De Baptismo Constantini Magni Impera-
toris.*

Celebris est inter Historicos controversia de Ba-
ptismo Constantini, aliis Romæ ab Silvestro I.
baptizatum contendentibus, aliis apud Nicomediam
sub fine in vita ac propediem moriturum. Proferam,
quæ in utramque partem dicuntur, relicturus alios
utrum eorum verius malint videri.

Constantinus Magnus, cum Imperii annum fere
tricesimum secundum, ætatis vero quartum supra se-
xagesimum, corpore usque & animo valens explor-
set, morbum tandem anno Christi 337. post Festum
Paschale nactus est. (1) Itaque ad aquas calidas Ci-
vitatis suæ (2) progressus, inde Helenopolim delatus
est, (3) ut aquis calidis, quæ juxta illam Urbem si-
te sunt, uteretur. Sed cum morbum ingravescere sen-
sisset, lavacrum quidem distulit. Helenopoli autem
(4) in templo Martyrum diu commoratus, supplica-
tiones, & preces obtulit DEO. Cumque extremum
vitæ diem sibi jam imminere sentiret, tempus tandem
adesse existimavit, quo totius vitæ delicta expiaret;
firmissime credens, quæcumque humanitus peccavisset,
arcanorum verborum efficacia & salutari lavacro pe-
nitus esse delenda. Hæc cum apud se reputasset, genu
flexo humi procumbeus, veniam a DEO supplex popo-
scit

(1) Eusebius De Vita Constantini lib. 4. cap. 53.^{60.}
61. Paginis ad an. 337. §. 34. Pascha eo anno incidit in
diem Dominicum XV. Kal. Maii.

(2) Constantinopolis.

(3) Eusebius loco citato cap. 61. pag. 460.

(4) Socrates lib. 1. Hist. Eccl. cap. 39. pag. 62.

fecit peccata sua confitens in ipso Martyrio, (5) quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere: (6) Hinc ad suburbana Nicomediae digressus, (7) convocatis Episcopis, sic ad eos ver-

(5) Vide annotationem 6. Disputationis VI.

(6) Tunc primum factum esse Catechumenum Imperatorem Constantinum putat Valesius annotat. in hunc Eusebii locum pag. 226. Nam Catechumeni per manum impositionem olim in Ecclesia fieri consueverunt, primum quidem Audientes, deinde vero Competentes, quibus nominibus duplex eorum classis designatur. Cum igitur Eusebius aperte tradat, Constantinum Helenopolis primum manuum impositionem accepisse, plane efficitur, ut antea Catechumenus non fuerit, sed tunc primum Audientibus annumeratus sit. Valesium sequitur Papebrochius apud Boliandum die vigesima prima Maii pag. 18. §. 24., & Norisius in Appendice ad Historiam Donatistarum Lect. 8. Operum tom. 4. pag. 659. Alii arbitrantur, Constantinum ea manuum impositione potius quam Audientem, creatum esse Competentem, & baptismi Candidatum. Sed vox illa primum excludit secundam manuum impositionem fieri solitam Competentibus, de qua Concilium Carthaginense IV. can. 85. apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1206.

Tillemonius extrema annotat. 64. in Constantinum tom. 4. Historiae Imperatorum pag. 659. opinatur, verbis Eusebii hanc subjectam fortasse sententiam: Cum Constantinus Baptismum Helenopoli petiisset, ibi in Ecclesia S. Luciani primum manus ei impositas, seu ut Competens fieret, seu exorcizaretur, quemadmodum fieri solet in primis cæremoniis baptismi: deinde reliquas cæremonias peractas Achyronæ, quo se transferri jusserat.

S. Hieronymus in Chronico ad an. 340. Operum tom. VIII. pag. 789.: Constantinus, cum bellum pararet in Persas, in Ancyrone villa publica juxta Nicomediam moritur.

(7) Aurelius Victor de Cæsaribus cap. 41.: Constan-

verba fecit. Hoc erat tempus, quod jamdudum spe-rabam, cum incredibili cupiditate arderem, votisque omnibus desiderarem salutem in DEO consequi. Jam tempus est, ut signum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus: tempus est, ut sa-lutaris signaculi participes fiamus. Evidem olim sta-tueram id agere in flumine Jordane, (8) in quo Servator ipse ad exemplum nostrum lavacrum suscepisse memoratur. Sed DEUS, qui optime novit ea, quæ nobis utilia sunt, hoc in loco nobis id ipsum ex-hibe-

stantinus rure proximo Nicomediæ (Achyronem vo-cant) excessit.

Eutropius in Breviario Hist. Rom. lib. 10. extreme cap. 4. Nicomediæ in villa publica abiit.

(8) *Valesius in hunc Eusebii locum pag. 226.: Ne quis forte Constantiū temere reprehendat, qui illic baptizari ambierit, ubi Dominus olim a Joanne fuerat baptizatus, sciendum est, plerosque Christianorum idem tunc tempo is obiisse. Ita Eusebius no-ster in Libro De locis Hebraicis, quem locum ita ver-tit Hieronymus: Bethbara trans Jordannem, ubi Joannes in pænitentiam baptizat: unde & usque ho-die plurimi de fratribus, hoc est de numero credentium ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur.*

Si Constantino in optatis erat in Jordane flumine baptizari: quando opportunius id facere potuisset, quam anno ante obitum, cum Hierosolymam, ut ipsem testatur Eusebius lib. 4. De Vita Constantini cap. 43., ex omnibus Orientis partibus ad eo vocati ad Templi dedicationem Episcopi convenere, cum præsertim imminens in Persas profectio ad id eum impellere debuisset? Baronius ad An. 324. §. 45. Esto, potuerit tunc atque etiam antea Constantinus in Jordane commode baptizari. At non queritur quando opportune in Jordane baptizari potuerit, sed quando revera baptizatus fuerit, & idonei probatique auto-res testantur, sub finem vitæ prope Nicomediam ba-ptismum suscepisse.

hibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. (9) Nam si quidem DEUS vitæ, mortisque arbiter, hic me diutius vitam agere voluerit, idque semel decretum est, ut in posterum una cum populo Dei permiscear, & in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi præscripturum me esse spondeo, quæ sint Deo dignæ. Hæc cum dixisset, illi solemni ritu divinas cæremonias peregerunt; injunctisque ei quæcumque necessaria erant, sacrorum mysteriorum participem eum fecere. Solus igitur ex omnibus, qui umquam fuerunt Imperatoribus Constantinus, in Christi martyriis (10) renatus & consummatus est; & divino donatus signaculo exultavit spiritu, renovatusque est, ac divina luce repletus. (11) Paulo amplius mense post suscepsum baptismum, eodem anno Christi 337. Feliciano & Tiziano Consulibus, die undecimo Kalendas Junii (12) Festo Pentecostes circa meridiem migravit ad Dominum.

K 4

Hæc

(9) His verbis se ipsum accusat Constantinus, quod scilicet sacrum lavacrum nimis distulerit, quodque tamdiu quasi anceps ac dubius hæserit, nec Gentilium ritus ac cæremonias colens, nec Christianorum sacra suscipiens. *Valesius in citatum locum Eusebii pag. 227.*

(10) Vox hæc saepe significat Ecclesiam, ut dictum est annotat. 6. ad disputationem VI. Sed Tillemontius annotat. 65. in Constantinum tom. 4. Hist. Imper. pag. 659. dubitat, habeatne hic Eusebii locus eamdem significationem: quod videatur pro martyriis legendum esse mystériis.

(11) Eusebius lib. 4. De Vita Constantini cap. 61. & 62. pag. 460.

(12) Socrates lib. 1. Hist. Eccl. cap. 40. pag. 63.

Cardinalis Norisius in Appendice ad Historiam Donistarum Lect. 8. Operum tom. 4. pag. 660. Neque vero mirum accidat, Constantinum baptismata ad mortem distulisse. Nam ea tempestate hoc Sacramentum ion-

Hæc Eusebius in Vita Constantini (13) anno tan-
tum secundo aut tertio post ejus mortem, de ejusdem
baptismo edidit, nullo modo significans, a quo po-
tissimum baptizatus fuerit. Si enim ab Eusebio Nico-
mediensi Antistite baptizatum significare voluisset, ab
loco Episcopo baptizatum dixisset, quandoquidem af-
serit alios fuisse apud Constantimum Episcopos, a qui-
bus poterat pro arbitratu baptizari: quin etiam addit
ad

longius nonnunquam protrahebatur, quod ex ipsis Im-
peratoribus Constantini filiis, & successoribus ape-
ritur. Cur Constantinus filios, quos in Christiana
religionem educatos certum est, non curavit bapti-
zandos? Constantem natu minorem paulo ante mor-
tem, quæ contigit anno 350., a morte Patris 13.
baptizatum ex Athanasio tradit *Baronius ad un. 324.*
§. 54., qui tamen natus erat an. 321. licet Patres
Ariminienses apud Athanasium *De Synodis*, non de
Constante (ut cum interprete Nannio credit) sed
de ipso Constantino Patre, ex Græcis exemplaribus,
ac ex ipsis sententiæ contextu locuti sint. Constan-
tius Tauro & Florentino Coss. anno 361. morti pro-
ximus baptismum suscepit, S. Athanasio & Socrate
testibus an. 24. a morte Patris; & tamen contra Ma-
gnentium tyrrannum & Persas, aliasque conflixit, &
mulra egit contra idolatriam & pro Christiana re-
ligione. Cur Constantinus filios adhuc pueros sacris
undis non admovit? morti proximus id saltem non
exegit? Valens Imperator anno Imperii III. baptismum
suscepit, cum tamen ante baptismum fuerit Catholicæ re-
ligionis tenacissimus, ut auctores sunt Theodoreus ac S.
Hieronymus: licet cum baptismo ab Eudoxio Constanti-
nopolitano juramento adactus fuerit ad Arianum dogma
sovendum. Valentianus II. vivente Patre Catholicō
Imperatore non fuit baptizatus, eo vero mortuo im-
peravit annis 16. mensibus 5.; & cum D. Ambro-
sius in Gallias evocasset, ut ab eo sacris lymphis ab-
lueretur, ab Eugenio tyranno occisus fuit: quem ta-
men concepto baptismi voto, ac proposito salvatum
scri-

ad extremum, illos solemniter divinas cæmonias peregrisse. (14)

Eusebii sententiam confirmant Socrates lib. 1. Hist. Eccl. cap. 39. Sozomenus lib. 2. cap. 34. Theodore-tus lib. 1. cap. 32., cuius verba recitat ac probat Evagrius lib. 3. cap. 41. Chronicum Paschale seu A-

K 5

lexan-

scribit Ambrosius in Concione funebri ejusdem Valentini. Theodosius Imperator a Gratiano vicit, in genti prælio Gothos vicit, atque ultra Histri ripas abegit. Cum vero Thessalonicæ morbo correptus ad mortem appropinquare videretur, ab Acholio Episcopo baptisatum suscepit. Hic tamen a puero in Christiana religione fuerat a patre educatus. At inquies, si Constantinus ante mortem non fuerat baptizatus, cur ergo per id tempus, quo Donatistas comprimere studuit, Christianus Imperator ab Augustino (epist. 43. alias 162. cap. 7. & epist. 105. alias 266. cap. 3.) appellatur? Ni mirum quia Christianæ religionis cultum aperte profitebatur. Ita quidem Athanasius, ac Hilarius Constantium nondum baptizatum Christianum dixerunt.

(13) Lib. 4. cap. 61. 62. & 64. pag. 460., & 461.

Baronius ad an. 324. §. 43.: Eusebius Arianorum signifer in gratiam Constantii Imperatoris Ariani hæc conscripsit, ne scribens Constantium Romæ a Silverstro Pontifice in fide Catholica baptizatum, impietatis & apostasiæ redargueret filium ejus Constantium Imperatorem, paternæ fidei desertorem & transfugam.

Non est verisimile, Eusebium mendacem fuisse in ea historiæ parte, quæ ad Arium & Arianorum caussam minime pertinebat, adhuc superstibus, qui eum mendacii convincere facile poterant: & aliunde, quam ex rebus a Constantino Romæ gestis, notum omnibus erat, Constantium ejus filium paternam fidem deseruisse: & Eusebium de baptismo Constantini falsa scribentem antiqui Scriptores Græci ac Latini non probassent.

(14) Quare non est credendum iis, qui afferunt, Constantium ab Eusebio Nicomediensi baptizatum.

Neque

Alexandrinum ad ann. 337. Libellus Synodicus cap. 40.
 (15) Confirmant etiam ex præcipuis Latinis Docto-
 ribus duo, Hieronymus & Ambrosius. Et Hieronymus
 quidem plus etiam, quam oportebat, cum scripsit in
 Chronico: (16) Constantinus extremo vitæ suæ tem-
 pore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in
 Arianum dogma declinavit: (17) neque enim ille
 dicit

Neque id credidit Gelasius Cyzicenus, qui illum ba-
 ptisnate tinctum refert ab Orthodoxo Sacerdote. Pho-
 rius in Bibliotheca extremo Cod. 88. pag. 210. ita scri-
 bit de ejusdem Gelasii Historia: Definit in Constantini
 Magni obitum, quando divino remissionis peccatorum
 lavacro suscepit, vitæ hujus maculas, quas communi
 mortalium sorte contraxisse oportuerat, una eluit.
 Baptismate vero tinctum refert ab Orthodoxo Sacer-
 dote, sacroque ritu, non, ut quidam prodiderunt, ab
 haëreticorum aliquo. Longiorem autem hanc baptis-
 mati obvenisse moram, quod ipsis Jordanis fluminis
 aquis tingi vehementer optasset.

Norissius in Appendice ad Hist. Donat. Lect. 8. pag.
 657.: Eusebius Nicomedensis dato libello subscriptis
 Synodum Nicænam, & ipse Baronius in fine an. 329.
 testatur, Eusebium non ausum fuisse quidquam contra
 Synodum Nicænam mutire. Cur igitur Imperator,
 qui Nicomediæ in morbum incidit, baptismum sibi
 impetriri negasset ab Eusebio, quem recte fidei Præ-
 sulm putabat, quique illius loci erat Episcopus? Præ-
 terea Constantimum ab Eusebio Nicomedensi bapti-
 zatum unus Hieronymus scribit: alii enim antiqui
 Scriptores hoc tantum tradidere, Constantimum prope
 Nicomediam sacro baptisnate tinctum.

(15) Apud Harduinum tom. 5. Conc. pag. 1506.
 apud Labbeum tom. 2. pag. 88. & apud Fabricium tom.
 XI. Bibliothecæ Græcæ pag. 202.

(16) In sua videlicet ad Chronicon Eusebii adje-
 cione ad an. 340. pag. 789. tom. 8. Operum S. Hie-
 ronymi.

(17) Id est inclinare visus est in eorum senten-
 tiam,

dicit vel ab Eusebio baptizatum, vel Arianum dogma amplexum: sed id consequens esse Hieronymus creditur. Melius Ambrosius in funere Theodosii ait: Cui (Constantino) licet baptisnatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem Fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit. (18) Hieronymum porro & Ambrosium habuisse Eusebio fidem, nihil ultra indagantes in re tali, etsi difficile creditu sit, cum ambo diu Romæ habitaverint, & contrarium, si verum erat, centies audisse debuerint, (19) credamus tamen. Credamus etiam, S. Athanasium, adeo sagacem exploratorem omnium, quæ mala fide agebantur a suis & Ecclesiæ hostibus, in hoc puncto velut ad se minus spectante, incuriosum plane fuisse. Quis credat, integrum Synodum Occidentalium Episcoporum Ariminii congregatorum idem dicturam fuisse

tiam, qui Οὐοστίς vocabulo abstinentium censebant, non ut heretico, sed ut novo, ideoque scandalum generante apud eos, qui Nicænæ fidei omnino se adhaerere profitebantur, persuadebantque Imperatori, ut crederet, eos, qui vocabantur *Ariani*, voce illa suppressa, ad concordiam reddituros. Taliū, non vero ipsorum Arianorum tunc particeps erat Eusebius iste, post obitum Constantini duntaxat ad Arianorum partes apertius transgressurus in Conciliabulo Antiocheno anni 341. Simili modo alibi Hieronymus scripsit propter receptam Valentis & Ursacii confessionem in specie Catholicam, quod ingemiscens Orbis terrarum miratus est, se esse Arianum. Papebrochius in Commentario Historico de S. Constantino Magno cap. 2. §. 18. apud Bollandum die 21. Maii tom. 5. pag. 17.

(18) Tom. 2. pag. 1209.

(19) Nullum igitur Hieronymi & Ambrosii ætate Romæ baptisterium Constantini, nulla item Constantini ab S. Silvestro ibidem baptizari ad posteros fama. Unde eos refellas, qui ex baptisterio ibidem postea extracto argumentum ducunt contra nos.

se de Constantini baptismo, si is non primum Nicomediae, sed diu antea Romae fuisset peractus? Non ergo verba Synodi proferam, ut apud Theodoretum, Soeratem, & Sozomenum leguntur, (excipit enim contra hos Baronius) sed ex Athanasio in libro De Synodis, apud quem ea putat integre ac sincere legi: sic autem leguntur absque ullo discrimine in octo Codicibus MSS., ex quibus concinnata est Graeco-Latina editio anni 1600. Αὐτον τὸν καὶ αὐτοῖς ἐφάνη τῶν ὁρθῶς καὶ δικαιῶς ἀριστέων μεταλλάσσειν, καὶ τῶν ἐν Νικαιᾷ κοινῆ μετὰ τῷ ἐνδοξοτάτῳ Κωνσαντίνῳ, τῷ πατρός συ, καὶ Βασιλέως ἐσκεμμένων ἐγνωκότες, καὶ τὸν μετὰ τελθητὶς ἀξιού μνήμης Κωνσαντίνου μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ ἐξετάσεως τὴν συγγραφεῖσαν πίσιν ἐκτεθήκότα. ἐπειδὴ καὶ ως ἡ αὐτοῦ πίσιν ἐγένετο Βαπτιστής, καὶ πρὸς τὴν ὁφειλομένην εἰρήνην ἀνεχώρησεν, αὐτοπον εἶναι μετ' ἔκεινον τι καυνοτομεῖν: Indecens & injustum videtur immutare aliquid eorum, quae recte ac juste definita sunt, atque Nicææ communiter constituta coram glorioissimo Constantino Patre suo (Constantium alloquitur) & Imperatore... Deinde iterum: Cum sciamus etiam Constantinum post mortem quoque memoria dignum, conscriptam cum omni diligentia deliberationeque fidem exposuisse, atque adeo absurdum fore, postquam ille migraturus baptizatus est, & ad debitam sibi requiem transiit, innovare quidpiam. (20)

Hos auctores secuti sunt Cardinales Nicolaus de Cusa (21) Jacobus Perronius, (22) Henricus Norfius.

(20) Papebrochius loco citato apud Bollandum die 21. Maii tom. 5. pag. 15. §. 12.

(21) Lib. 3. De Concordantia Catholica cap. 2. pag. 782.

(22) Apud Tillemontium annot. 65. in Constantium Imperatorem tom. 4. pag. 660.

sius. (23) Et quidem iis non consentire, idem est, atque fundamenta historiæ convellere. Etenim axioma est a Petro Daniele Huetio præpositum Demonstratio- ni Evangeliæ: *Omnis historia est verax, quæ res ge- stas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis, qua res gestæ sunt.* (24) Hæc di- sputant, qui Constantiū censem sub fine vitæ baptisnum suscepisse.

Qui contra differunt, ajunt, Acta S. Silvestri te- stari, Constantiū Roinæ baptizatum ab eodem Pou- tifice, & sacri lavacri virtute a lepra liberatum: ea- dem Acta a multis in Urbe Romana Catholicis legi so- lita, teste Gelasio in Concilio Romano: (25) ea- demque

(23) In Appendix ad Historiam Donatistarum Lect.

2. Operum tom. 4. pag. 656.

(24) Axioma hoc est secundum, & confirmatur ab eodem Huetio pag. 14. edit. Pariensis an. 1690.

Prosper Cardinalis Lambertinus, nunc Benedictus XIV. Pontifex Maximus, De Serv. Dei beatif. & Beat. canoniz. lib. 3. cap. 10. §. 9.: Quæres quarto, quinam dicendi sint Auctores contemporanei. Scacchus De notis & signis Sanctitatis, sect. 11. cap. 6. pag. 881. respondet, Historicos, qui vixerunt intra quinquaginta annos ab obitu Servi Dei, aut Beati, cuius Vitam referunt, pro contemporaneis habendos esse: Quod si Historici vixerint etiam quinquaginta annis a tem- pore, quo vixit Dei Servus, de quo agitur, merentur attendi tamquam contemporanei. Tillemontius, & Baillet auctoritate non detrahunt Historico, licet post sæculum scribenti. Launojus in Tractatu de aucto- ritate negantis argumenti tempus id protrahit ad an- nos circiter ducentos. Paer autem Honoratus in saepe allegato tom. 1. De Usu Criticæ, dissertat. 2. ingenue admittit, historicam veritatem per tres utique aut qua- tuor hominum ætates suum tutum posse habere pro- gressum: at periculis tamen deceptionis & hallucina- tionis expositam esse, si alicujus Scriptoris intra sæcu- lum scribentis præsidio sit destituta.

(25) Apud Laubem tom. 4. Conc. pag. 1273.

deinque ab Adriano ad vindicandum cultum imaginum sacrarum prolata in Epistola ad Constantimum & Irenem. (26)

Eusebii sectatores respondent, Baronium ipsum ad an. 215. §. 14. & ad an. 324. §. 31. affirmare, Acta S. Silvestri additamenta exti infuscus accepisse, & in non-nullis depravata esse. Cardinalem quoque Cajetanum in Summam D. Thomæ 3. part. quæst. 69. art. 8. assertere, nullius auctoritate constare, Constantinum mandatum a lepra in baptismo, quia gesta Silvestri, ex quibus hoc videtur haberi, incertum habent auctorem, ut patet in cap. Sancta Romana dist. 15. Cajetano accedere Sotum in 4. Sent. dist. 6. quæst. 1. extremo art. 6. Itaque lepræ Constantinianæ testem gravem & probatum ex veteribus nevinem esse: (27) eamque ideo etiam refelli, quod Dionysius Alexandrinus lib. 7. contra Julianum objicientem Christianis, quod eorum baptismus lepræ in orbem non depelleret, statim respondisset, Constantinum decessorem ejus & sacerdotum lepra laborantem accepisse a baptisate salutem pristinam. Quid enim magis obvium, quid commodius, & ad Apostatam refellendum efficacius? Nihil tamen

(26) Apud eundem Lab. tom. 7. Conc. pag. 102.

(27) Melchior Canus lib. 11. cap. 5. respon. ad 14.

Nicolaus Cardinalis de Cusa lib. 3. De Concordantia Catholica cap. 2. pag. 782.: Ego legi in Vincentio Historiarum 24. lib. in fine, secundum S. Hieronymum, Constantinum uxorem Faustum, & filium Crispum crudeliter occidisse, & in extremo vita ab Eusebio Nicomediæ Episcopo baptizatum, in Arianam heresim declinasse. A quo tempore, inquit Hieronymus, Ecclesiastum rapinae & totius Orbis discordia secura est usque in praesens tempus. Ista libro de Actibus Silvestri, quem Vincentius dicit a quodam, cuius nomen ignorat, e Graeco translatum, ut eodem libro cap. 9. habetur, manifeste contradicunt. Quis non crederet potius Hieronymo approbato, quam ignoti auctoris scripturis, quæ apocryphæ dicuntur, quando auctor ignoratur?

tamen hujusmodi respondisse S. Cyrillum, contentum dixisse, baptismum animi, non corporis morbis curandis a Christo Domino institutum esse.

Gelasium vero, qui Acta illa non recenset inter Apocrypha, imo dicit *a multis Catholicis legi*, hoc indicare solum, nihil in eis reperiri alienum ab Fide Catholica, nullumque ab eorum lectione periculum Fidelibus metuendum. Insuper posse ambigi, num Acta S. Silvestri, quæ supersunt, eadem sunt, atque illa, quæ ab Gelasio non improbantur.

Hadrianum pariter in citata epistola eisdem Actis usum esse, quod ob qualemcumque antiquitatem conferre aliquid viderentur ad asserendam venerationem sacrarum imaginum. Inde colligi, vera esse Catholicæ Fidei dogmata, quæ in Actis illis continentur, non vera item & certa esse gesta omnia, quæ ibidem exponuntur. Recitatam quidem in Concilio Oecumenico VII. Hadriani epistolam, at non eam inde vim habuisse, ut certam in omnibus fidei facere debeat. Nec enim historias, quæ in Conciliis leguntur, omnes etiam pro veris approbari. (28)

Neque Actis S. Silvestri fidei conciliare Acta Liberii, in quibus expressum habetur *ex libro quodam, qui ibi ciratur, Silvestri, Constantiū a lepro morbo in baptismo Crucis signo liberatum.* (29) Acta enim illa *ex eadem officina*, unde Acta Silvestri, prodierit, & multis ob sita mendis dici a Baronio ad an. 324. §. 42. Et jure quidem ac merito. Qui enim id verisimile est, quod est in iisdem Actis Liberii, nimirum ejus ætate miraculum Constantini per baptismum a lepra sanati, si verum fuit, in Urbis & Orbis totius conspectu patratum, ex hominum memoria ita deletum fuisse, ut Constantius ejus filius, ut est in eisdem Actis, indignaretur, quod Liberius illud sparsisset in vulgus, ob eamque caussam gravia in eum comminaretur. (30)

Neutrīs

(28) Vide Canum lib. 3. de locis cap. 5. quest. 4.

(29) Baronius ad an. 324. §. 42.

(30) Baronius ibidem.

Neutris porro Actis pondus ullum addere Concilium Romanum, quod cap. 1. apud Lab. tom. 1. Conc. pag. 1545. & 1546. hæc habet: Eodem tempore cum multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus a Silvestro Episcopo Urbis Romæ & mundatus fuisset a lepra. Subdititium enim esse. Siquidem celebratum dici III. Kal. Julii anno 324. Constantino jam baptizato, ut autumant, præsente, quo anno toto, & mensibus aliquot anni superioris Constantinus bello Liciniano occupatus in Oriente versatus est. Præterea Photium ab hoc Concilio damnatum legi in ejusdem Concilii præfatione, cum multo post Photius natus fuerit, nec ante Concilium Sirmiense ejus hæresis damnata. (31)

Falsis Silvestri, Liberii, & Concilii Romani Actis deceptum Nicolai 1. epist. 8. ad Michaelem Imperatorem vocasse Silvestrum *Magni Constantini baptizatorem.* (32) Ex iisdem lacunis hausisse Gregorium Turonensem lib. 2. Hist. Franc. cap. 31., ubi de baptismo Clodovei loquitur ad hunc modum: *Procedit novus Constantinus ad lavacrum deleturus leproæ veteris morbum:* prorsus ut nihil mirum sit, Hadrianum I. Hincmarum, aliosque tum Græcos, tum Latinos de lepra Constantini veluti de re certa narravisse.

Eusebium secum non pugnare, nec ullo modo indicare, Constantimum multo ante mortem baptizatum fuisse, cum scribit lib. 4. De Vita Constantini cap. 22.: *Ipse vero utpote sacrorum mysteriorum particeps:* & cap. 57. subjungit: *Aderat jam magna Paschalis festi solemnitas, in qua Imperator vota Deo persolvens una cum ceteris pernoctavit.* Ab Eusebio enim Constantimum non ideo vocari *sacrorum mysteriorum partipem,* quod baptizatus esset, & ad communionem Sacraementorum cum Fidelibus admissus, sed

(31) Multa disputant huic sententiae convenientia Cardinalis Norisius in Appendice ad Historiam Donatistarum Lect. 8. pag. 659. tom. 4. & Pagins ad an. 324. §. 17. & 18.

(32) Apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 305.

sed quod mysteriorum, quæ Christus Salvator operatus est ad salutem generis humani, doctrina institutus esset, & fide sua jam particeps. Deinde Constanti-
num non dici ab Eusebio participem absolute, ut
vertit Valesius, sed οἱ ἀ πνα μέτοχοι ισπῶν ὄργιων :
velut aliquem participem sacrorum mysteriorum. Ab
eodem Eusebio subjici quidem, Constanti-
num in Festo Paschæ vota Deo persolvisse, & pernoctasse cum ce-
teris ; at non exprimi, utrum in Ecclesia, an in Pa-
latio, ubi quotidie statim horis se se includens, remotis
arbitris solus cum solo colloquebatur Deo, & in genua
provolutus ea, quibus opus haberet, supplici prece po-
stulabat. (33) Certe ab eodem Eusebio lib. 4. De
Vita Constantini cap. 62. Constanti-
num ea loquen-
tem induci, quæ ipsum ostendant, numquam in Ec-
clesia una cum populo Dei preces ad Deum fudisse.
Ista enim esse verba ejus : *Si Deus vita, mortisque ar-
biter hic me diutius vitam agere voluerit; idque semel
decretum est, ut in posterum una cum populo Dei per-
miscear,* & in Ecclesiam adscitus cum reliquis omni-
bus orationum particeps fiam ; eas vivendi leges mihi
prescripturum me esse, spondeo, quæ sint Deo dignæ.
Ad hæc in quatuor Eusebii libris, quibus Constantine
pietas & religio celebratur, nusquam legi, Constanti-
num in Ecclesia cum Catechumenis (nendum cum Fi-
delibus) preces fecisse, nec Sacramentum Catechume-
norum (nendum Fidelium) percepisse. Cumque de He-
lena Augusta matre Imperatoris Constantini id diserte
affirmet Eusebius, eam in Ecclesia cum reliquis mulie-
ribus constitisse, numquam tamen de Constantino idem
ab illo dictum inveniri. Quod si objiciatur, Constanti-
num Helenopoli in Martyrum templo diversatum fuisse,
& preces ad Deum fudisse : primum respondendum hæc
in nostris Codicibus non legi : deinde Ecclesias ingredere
licuisse etiam Gentilibus, excepto Missarum tempore :
quanto magis id licuerit Imperatori, qui se Christia-
num profitebatur ? (34)

Ni-

(33) Eusebius lib. 4. De Vita Constantini c. 22. p. 442.

(34) Valesius annotat. in cap. 61. ejusdem libri 4.
De Vita Constantini pag. 226. L

Nicephorum lib. 7. Hist. Eccl. cap. 35. scribentem:
*Ecclesia a Silvestro eum Romæ baptizatum esse certo
 prædicat, nihil proficere. Majorem enim quam Ni-
 cephoro fidem adhibendam esse Eusebio, Hierony-
 mo, Ambrosio, aliisque, qui ætate sunt & auctori-
 tate multo graviores. Et Nicephorum hoc loco for-
 tasse intelligere Acta S. Silvestri, quæ, ut dictum est,
 parum habent auctoritatis. Equidem legi in Brevia-
 rio Romano in Vita S. Silvestri, die postremo De-
 cembris, Constantinum ab eodem S. Silvestro bapti-
 zatum, & baptismō sanatum a lepra; sed Vitam il-
 lam quoque ex iisdem Actis descriptam esse, & Car-
 dinalem Vincentium Mariam Ursinum, postea Bene-
 dictum XIII., in Dissertat. De reliquiis S. Bartholo-
 mæ art. 7. docere, Maxima quidem auctoritatis esse
Breviarium Romanum in iis, quæ per se ad cultum
Ecclesiasticum attinent, minoris tamen ponderis esse in
privatis factis, aut gestis, quæ in Vita Sanctorum
ex occasione referuntur, ita ut efficax inde argumen-
tum peri non possit, ubi præsertim antiquiora monumen-
ta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quæ iis uti-
tur, inconcusse infallibilisque veritatis judicat quæcum-
que Breviariis suis sunt inserta, cum multoties pro va-
riis temporibus varia ex occasione ea mutaverit corre-
xeritque. (35)*

Num

(35) *Apud Lambertinum De Serv. Dei Beatif. S.
 Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 13. §. 5.*

Idem Eminentissimus Auctor, qui nunc Christianam
 rem Benedicti XIV. nomine tanta cum laude gerit, eo-
 dem loco proferens sententias plurimorum, qui de Hi-
 storiis relatis in nonnullis Lectionibus secundi Noctur-
 ni Breviarii Romani dubitare visi sunt, ita concludit:
Consimilia demum habentur in Confutatione disserta-
tionis Michaelis Anastasi, mira, qua pollet, erudi-
tione composta a Domino Advocate Nicoli, & Pla-
centie typis impressa anno 1733. pag. 21. & sequen-
zibus, ubi inter cetera notat, impune inter Eruditos
adhuc disputari, utrum Constantinus Imperator fuerit
Romæ baptizatus a S. Silvestro, ut habetur in Lectio-
nibus

Num quis ita demum contradicat? Numquam
antea, ex quo Christianus esse cœpit, post viginti sex
annos Constantinus in morbum incidit, ut expiande
per baptismum peccata oportuerit eum iniisse consilium?

*Vel quonam modo potuit interesse, & sedem, ut
ipse ait Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 10.,
cum Episcopis in sacrosancto Nicæno Concilio habuisse,
si inter Catechumenos in Ecclesia tantummodo militabat?
Latiri ne id essent beatissimi illi Catholice professionis
Antijesuites, quorum ingens erat numerus egregia sancti-
tate, vigore discipline & eruditione præstantium? (36)*

*Quoad prium respondent, Et si in morbum forsitan
incidisset antea Constantinus, tamen quia lethalem
non esse morbum intelligebat, baptismum in aliud tem-
pus distulisse, quem devicto Maxentio in voto suscep-
perat. (37)*

*Quoad secundum: Nonne scribere Baronium ad an.
314. §. 53., Constantiū eodem anno 314. nempe
decimo ante baptismum (38) interfuisse Synodo Arela-
rensi ex omnium provinciarum Occidentis Episcopis con-
statet? Quare si id minime religioni officere Episcopi Oc-
cidentales credidissent, nec Orientales eo scrupulo tangere
debuisse. Neque enim sedere Imperatorem velut sacro-
rum dogmatum magistrum, sed ut auditorem, & de-
cretorum per sacras (39) executorem. (40) Accede-
re, quod in Concilium Nicænum admissi sunt etiam*

nibus Breviarii Romani, an in exitu vitæ suæ Baptis-
mum receperit in quodam suburbio Civitatis Nicome-
diensis anno 340. & ideo quatuor annis post obitum
S. Silvestri, ut scriptum reliquit Eusebius Cæsariensis
testis oculatus, de Vita Constantini lib. 4. cap. 61. & 62.

(36) Baronius ad an. 324. §. 44. & 49.

(37) Natalis Alexander Dissertat. 14. in Hist. Eccl. sœculi IV. tom. 4. pag. 306.

(38) Secundum Baronii sententiam.

(39) Sacrae dicuntur Epistolæ, seu diplomata Priu-
cipis.

(40) Cardinalis Norisius in Appendice ad Historiam
Donatistarum Læst. 8. pag. 659. tom. 4.

complures laici Philosophi, & Dialectici, teste Socrate l. 1.
c. 8. Rufino l. 1. Hist. Eccl. c. 3. & Gelasio Cyziceno l. 2.
cap. 13. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 175. Cur igitur non admissum Constantinum, qui Synodum convocaverat, honorificis litteris Episcopos undique invitans, ut quantocius adessent? Qui aliis quidem cursus publici copiam præbuerat; aliis vero jumentorum usum abunde subministraverat. Quin etiam sedem huic Sy-

nodo convenientissimam assignaverat Urbem Nicæam in Bitynia sitam? (41)

(41) Eusebius lib. 3. De Vita Constantini cap. 6.
pag. 400. Et extremo cap. 10.: Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primum medius stetit. Positaque ante eum humili sella ex auro fabrefacta; non prius assedit, quam Episcopi ei innuissent.

Natalis Alexander in Hist. Eccl. sæc. IV. cap. 3. art.
4. §. 2. tom. 4. pag. 31.: Cum Ariani in ipso Concilii ingressu libellos ipsi (Constantino) adversus Orthodoxos Antistites porrexissent, quo eis infensum redderent Imperatorem, & ad expugnandam Catholicam Fidem faciliorem aditum sibi aperirent, indictio cunctos libellos comburi jussit, hæc cedro digna proferens: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi: & ideo nos a vobis recte judicamur: vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra iurgia, quæcumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati estis Dii: & conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicar. Refert istud Rufinus lib. 4. Historiæ cap. 1.

Addit Theodoretus lib. 1. cap. 11. Constantinum jure asseruisse, se ne verbum quidem Libellorum legisse: Quod Sacerdotum virtus non sint populo aperienda, ne causa offendiculi inde arrepta, licenter peccare aggrediatur.



